PRVSSIA CHRISTIANA,

SIVE DE

INTRODVCTIONE RELIGIONIS CHRISTIANAE IN PRVSSIAM

PER


MARTYRES TENTATA,

QVORVM VITAS VERITATI HISTORICAE RESTITVIT,

ATQVE NONNVLLA AD ILLVSTRATIONEM X. ET XI. SEC. FACIENTIA INSERVIT

ANDREAS SCHOTTVS,

AG. DANTISC.



GEDANI,

APVD GEORGIVM MARCVM KNOCHIVM.

MDCCXXXVIII.

Claudianus Lib. I. de raptu Proserp. v. 220.

Rem peragit tempus.



LECTORI BENEVOLO
Salutem!



Veræ Religionis emolumenta optime examinantur ab iis; qui idololatriæ tristia cognoscunt fata. Non omnibus tamen hæc cognitio facile adquiritur. Obstant enim infelices mortales idolorum abominando cultu fascinati cruenta sua atrocitate, quo minus in tenebris istis Lux aliqua affulgeat. Historici equidem illius ævi, quo obscuritati tali dispellendæ armorum splendor, aut studium virorum adhibebatur religiosorum, quandam suppeditant notitiam, sed minus distinctam. Excusat tamen hanc Scriptorum confusam brevitatem bellorum horrida ac diuturna tempestas. Excusat etiam Eruditionis communis neglectus. Vitio vertebatur Seculis undecimo atque duodecimo scientia supra vulgus evecta. Magiæ tribuebatur, quod torpor eorum,

a) *qui numerus tantum, fruges consumere nati,*

)(affe-

a) HORATIVS *Lib. I. Epist.* 2. v. 27.

assequi non poterat. Tantum aberat, ut homines duntaxat plebejos judicium tale male sanum pungeret, ut Viros quoque, infallibilitatem sibi vindicantes, stringeret. Hinc multa tum temporis dicebantur, quibus contradixisse crimen erat. Una oberrare chorda oportebat, licet talia admissa oracula tenebras propagarent, non tollerent. Ad veritatem autem ea ratione posteris nullus erat aditus. Errores fuco præscriptionis, longiq; temporis colore tincti iis omnibus imponebant, qui putamini inhærentes nucleum non attingebant. Accedebat difficultas inquisitionis. Tempora, personæ, verba, minimæque circumstantiæ solertissima animadversione excussa vix exiguam sæpissime dabant probabilitatem. Impossibile itaque multis, quod arduum modo erat, videbatur. Suos tamen paulatim veritas nacta Patronos. Aureum Eruditionis Seculum exoriebatur, viros nullis impedimentis perculsos, gignens. Multæ sane in hodiernum usque diem disciplinæ, multæ artes oblivione sepultæ jacerent, si primis earum restauratoribus difficultates desiderium in eas inquirendi ademissent. Non enim in philosophicis tantum mancipia, atque magistrorum servum pecus ludibrio esse debent, & ad hanc scientiam solam veritatis restricta erit indagatio: in historicis quoque novarum disquisitionum ope veritatem eruere oportet, ut Scriptori fides, post omnium circumstantiarum exactissimam eviscerationem, prius assignetur. Norma hæc si unquam, certe Seculis illis, quibus ignorantia dominabatur, usui est. Non exiguum Historicorum numerum cum aliis accusamus. Unicus enim suo tempore suffecisset *Sleidanus*, cujus judicium

&

& veritatis ſtudium omnibus deprædicatur. Credulitatis duntaxat apertiſſima veſtigia, atque narrationem non hiſtorias ſed fabulas proponentem taxamus. Hæ ſi non ubivis legerentur, minus in veritate veritas multis fictionibus maculata exularet. Leviori opera certe Herculi Augiæ purgabatur ſtabulum, quam Volumen falſitatum quisquiliis repletum Lectori veritatis amico in ordinem redigitur. Conditio hiſtoricorum antiquiorum, ſuperſtitione in monaſteriis, quibus addicti erant, imbutorum, cauſam harum fictionum equidem indicat, veniam tamen iisdem nullam elicit. Ethnicos olim ſuperſtitione ductos, mirum non erat. Chriſtianos merito eandem fugere ceu peſtem decebat. Præſenti nihilo minus malo quærendum erat remedium. Multi igitur, ut hiſtoria temporum illorum, eliminatis fabulis, genuina eſſet, ſuam navabant operam. Quisque potiſſimum ſuæ regioni inſervientia illuſtrabat, emendabat, & applicabat. Nec Pruſſiæ Noſtræ ſui deerant Scriptores. *Hartknochius* tamen primus exterorum cum Hiſtoricis domeſticis perutilem conjunctionem atque collationem perficiebat. Cujus veſtigiis in præſenti noſtra opella inſiſtimus. Permittes quæſo, Lector Benevole, ut eandem, remotis omnibus, quæ formari forſitan poterant, objectionibus, Tibi magis commendemus. Pruſſiam Chriſtianam inſcripſimus, ut aliorum imitaremur Exemplum. Sic PONTANUS *Bohemiam Piam*, CARAFA *Germaniam Sacram*, VASLOVIUS VITES *Aquiloniam ſ. Sueciam Sanctam*, ſcripſere. His autem titulis idem, quod noſter indicat, denotarunt. Quod

b)

b) - - - - - *novi & ignoti veniamus,*
Grati erimus fortasse minus. - - -

Veritas interea, a quocunque vel quibuscunque proponatur verbis, grata erit. Veniam etiam nobis pollicemur, si alicubi fuerimus hallucinati. Lectori enim Benevolo scribimus, qui errorem non ex uno alterove loco, ubi erratum, dijudicat, sed ex aliis, ubi errori obviam itum, excusat. Quod verum a falso solerter distinxerimus, nemo certe vitio vertet. Hodie enim dudum illa cessit injuria, quod

c) - - - *si dubitas, clament periisse pudorem*
Cuncti pene - - - - - - - - -
Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt:
Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ
Imberbes didicere, senes perdenda fateri.

Vitas equidem Sanctorum, non autem Historiam Prussiæ Ecclesiasticam in nigro exhibere nonnullis videbimur. At male hi utramque separant. Vitæ enim horum Martyrum pristinum idololatriæ statum, initia Religionis Christianæ, situm terrarum Prussiæ, incolarum atrocitatem, Christianismi stupendum in his regionibus contemtum, paucorum quoque accessum exponunt, & ad sequentia melius intelligenda necessariæ sunt. Principio non notis opusculum hocce illustrare, sed earum contenta ipsi tractationi inserere mens erat: Cessit

b) PALINGENIVS *Lib. I. Zodiaci vitæ. v.* 14. 15.
c) HORATIVS *Lib. II. Epist.* 1. *v.* 80. 81. 83. 84. 85.

Cessit tamen propositum, cum observationes textui illas sensum dilataturas ponderaremus. Si alicui nonnulla superflua sunt, huic perpendendum erit, quod partium nostrarum duxerimus, ne aliquid sine explicatione omitteremus. Non enim tantum scribebamus Historicis, quibus omnia, quæ ab aliis olim satis confuse dicta fuere, nota erant. Nostras meditationes illi etiam accommodabamus scopo, ut inservirent pluribus. Et licet periodus temporis, qua evenerunt circumstantiæ in hac sectione investigatæ, obscuritate laboret, materia tamen sterilis minime fuit. Sterilitatem Elaboratio potissimum efficit, vel repetitio molesta ejus, quod dixere Patres, producit. Ultimum hic scopulum evitavimus, nihil admittentes, quod non omni modo cum veritate conveniret, Primum autem, singula debita industria explicantes. Sterilitatem agri ruricola suo irrigat sudore, laudandus de naturæ obstaculis feliciter superatis. Illustramus in præsenti Historiam Ecclesiasticam, non quod Politicam minoris æstimemus, vel eam nulla emendatione indigere existimemus; sed, quod Historiam Ecclesiasticam Politicæ in Prussia credamur esse fundamentum. Si non omnibus hæc instituti satisfacit ratio, sufficiet nobis si tantum aliquibus.

d) *Nam non ventosæ plebis suffragia venor.* Ne autem nimium dixisse videamur, emendationem Historiæ Politicæ adhuc necessariam ponentes, iterum monemus, in Historia Prussica sufficienter non omnia esse nodata. Testatur hoc Exemplum Supremorum

)( )(Or-

d) HORATIVS *Lib. I. Epist.* 19. v. 37.

Ordinis Magiſtrorum. Diſceptant enim Scriptores de numero eorum. Nec tempus regiminis idem multis placet. Exemplum hoc adduximus, non quod unicum ſit. Suppetunt plura. Induſtria autem, ac fide dignorum Documentorum apparatus defectus hoſce tollere poſſunt. Paucis equidem id felicitatis contigit, ut utrumque poſſideant. Sumtus & moleſtiæ, quibus talia comparantur, plurimos impediunt. Nec omnes, quibus æquior fortuna, huic labori officiorum gravitas impendere aliquid horarum patitur. Alii contra, cum minus idonei ſint, defectus illos adaugent, quibus *Horatianum* illud in mentem revocandum:

c) *Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam*
Viribus; & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri; cui lecta potenter erit res;
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo.

Sic aliis natura voluntatem, aliis vero vires negavit. Quantum nobis licuit, in uſus noſtros convertimus. Illa enim Scripta, quæ in præſenti opuſculo occurrunt, jam olim typus divulgaverat. Et ex his multa correctionem nobis, hactenus non obſervatam ſvadebant. Num recta inceſſerimus via, ex hisce jamjam pagellis Benevolo Lectori judicare licebit. Firmius teſtimonium totius operis, tribus Sectionibus abſolvendi, nexus ſuppeditabit. Humana primæ Sectionis exceptione, ut reliquæ propediem eam excipiant, efficere poteris. Scrib. Gedani d. 18. Martii. MDCCXXXVIII.

DE

c) HORATIVS *de arte poët.* v. 38 — 41.



DE

NTRODVCTIONE RELIGIONIS CHRISTIANAE IN PRVSSIAM, PER MARTYRES TENTATA,

§. I.



antæ molis erat, idolorum cultui adſvetos, patriisque irretitos erroribus populos æternæ eripere perniciei, ac Chriſti Salvatoris ſvavi ſubmittere jugo, ut non niſi effuſo martyrum, imo multorum illium Chriſtianorum cruore perfici id potuerit. Saones per triginta & plures annos Carolum M., Irminla licet vaſtata, occupabant. a) Slavorum cervix

flecti

a) Teſtes hujus pertinaciæ hamus WITECHINDVM ORBEJENSEM *Lib.* 1. *ap.* EIBOMIVM *Tom. I. rer. rm.* ANNALES FRANCOVM *à* PITHAEO *editos in rma minori* 8*va p.* 8. 18. 237. *&c.* CONRADVM VRSPERGENSEM *ad A.*772. *&* 804. REGINONEM *dd. AA.* LAMBERTVM SCHAFNABVRGENSEM; ac hiſtoricos Ævi medii tantum non omnes.

flecti vix poterat, quorum arduam conversionem multi notarunt historici. b) Sua tamen pervicacia omnes hos Prussi superarunt. Fidem certe excederet, populum barbarum bello trium propemodum seculorum, cladiumque atrocitate vix tandem frangi potuisse, nisi unanimis Scriptorum c) consensus omnem nobis dubitandi subriperet ansam.

§. II.

Ex illis etiam Scriptoribus historia conversionis Prussiæ erui atque colligi potest. Ast tricis insignibus talis impeditur occupatio. Non solum enim in magnis operibus dispersa latet, verum ipsa necessaria temporum curata observatio ab Autoribus optimæ notæ negligitur, ipsa quoque fides historica mirum quantum ! vacillat. Historiam igitur plantatæ in Prussia religionis per

b) Videlicet ADAMVS BREMENSIS *in Hist. Eccles.* & ejusdem fidi Amanuenses (sit venia verbo!) ALBERTVS STADENSIS *in chron.* HELMOLDVS *in chron. Slav.* uti etiam CRANTZIVS *in Saxonia, Metropoli, it. Vandalia* passim.

c) DVSBVRGIVS equidem *Prussiæ chronicon* Cruciferorum orditur labore. Verum illa quoque periodus feritatem Prussorum sufficienter confirmat. Ad tempus interea antecedens intelligendum, eandemque periodum explicandam inservient *ex Prussis* SCHVTZIVS *in hist. rer. Prussic. L. I. & II.* LEO *Hist. Pruss. L. I. & II.* & HARTKNOCHIVS *in Prussia N. c. 5. in Hist. Eccl. L. I. c. 1. it. in Dissert.* 14. DVSBVRGIO *adnexa.* Quibus *Polonos* jungimus, DLVGOSSVM *Hist. Polon. Lib. II. seqq.*; MECHOVIVM *chron. Polon. Lib. II. c. 7. seqq. usque ad finem Lib. III.*; CROMERVM *de orig. & reb. gest. Polon. L. III. seqq.*

ɔer compendium dare opus non inutile exiſtimabamus. Non contenti nudis adſertis virorum, ex cœtu licet Eruditorum, fontes, ex quibus probabiliter eos hauſiſſe concludi poterat, unde etiam ſe profeciſſe nonnulli candide profitebantur, ipſos adibamus. Nec pœnitet mpenſi laboris. Multa enim perperam ab aliis dicta, mo acerrime defenſa anili traditorum errorum propagatione nixa fuiſſe, hac ratione detegebamus. Miracula occurrebant dubia iis, qui nondum ære lavantur. Obſervabamus, multa in honorem illius regionis, cujus e indigenas d) hiſtorici norant, dicta, innumeros licet nde pullulantes nævos quilibet comprehenderet. Aliquibus ſufficiebat legiſſe ex aliis, & tantum non ipſam) verborum adhibuiſſe congeriem. In noſtra igitur ractatione Charybdin vitavimus, caventes, ne incideremus in Scyllam, cujus dijudicationem benevolo relinquimus Lectori.

§. III.

Ut ordo opellæ noſtræ innoteſcat, ſciendum, quod ractationi ipſi hos aſſignaverimus limites, quos conver-

d) Hiſtoria S. Adalberti, in *ætenſo Gneſnenſi Archi-Epiſcopatu*; *ficto ad Hungaros Apoſtolatu*; in *ntentione Polonorum cum Bohemis reliquiis S. iſtius martyris*; *ipſa olonorum ac Cruciferorum de antiiori Pruſſiæ Dominio lis*; *controrſiæ iisdem populorum* quotidie currentes hujus adſerti veritam ſtabiliunt.

e) Lege Leonis hiſtoriam Pruſſiæ, eamque ſi lubet cum Cromero confer. Evolve alias Cromeri Simias; forſitan ordinem literarum non interruptum in multis obſervabis. Quibus nos aliquid debeamus, citatio indicabit, & facta Autorum adlegatio ſuſpicionem plagii facile amolietur.

sionis postulabant vicissitudines. Martyres, Principes f) & Equites Prussis, diverso quadantenus utentes tramite, suam vovebant operam. Diversæ personæ diversas suppeditarunt periodos. Prima earum Martyrum circumscribitur conatibus, qui Sectionem primam efficient, atque præsenti elaboratione absolventur. Reliquæ, si DEUS vitam dederit, brevi subsequentur.

§. IV.

Fines Prussiæ in præsentiarum specialissime non determinabimus, nec ipsos incolas, unde venerint, scrupulose indagabimus. Perpetuæ rerum atque finium g) mutà-

f) Miraberis equidem *Principum*, non aliud hic comparere nomen. Ast desine mirari. Per duo enim illa secula, quibus Poloni (quæ de aliis populis scimus, obscura sunt) cum Prussis de religione, &, quod merito addendum, de regione decertabant, non omnes Polonorum Principes *Regio* diademate, non omnes etiam *Ducali* tantummodo ornati erant tiarâ. Qui Piasto Regium jam titulum tribuunt, quod Polonorum historici plerique audent, in tenebris lucem cœci contuentur. Et, qui Boleslaum Chrobry primum constituunt Regem, necdum omnem moverunt lapidem, (de quo vid. *Decus Patriæ nostræ* Doctiss. LENGNICHIUS *in Biblioth. Polon. Part.* 2. *observ.* 1. §. 8. 9.) nude tamen & prorsus rejici nequeunt, cum non omnium historicorum coævorum objici possit silentium. Hoc extra omnem dubitationis aleam positum, *Duces* in Polonia Sec. XI. & XII. fuisse, ast *Regis* quoque Sceptrum iis Seculis Polonorum regiones moderasse certissimum.

g) SPIGELIUS *in not. ad* GUNTHERI *Ligurinum in collect.* REUBERI *fol.* 281. egregiè hæc cogitata illustrat: *Videbis autem & nationum sedes, & regnorum populorumque nomina subinde mutata, s. veteres s. recentiores rerum temporumque Scriptores evolvas. Sic*

mutationes cuilibet persvadebunt, non eandem Prussiæ nostræ semper fuisse faciem. Migrationes gentium, h) & bella, quibus inclyta Scandinavia, prave nonnullis Thule i) dicta, officina illa gentium & vagina nationum k) Septentrionales terras populosque olim exponebat, multa confuderunt. Hinc alterationes (barbarorum actiones barbara voce insignimus;) pristinæ terrarum Prussicarum aliunde l) petendæ, & scopo nostro

A 3 satis.

Alsatia nunc dicitur, quæ olim Alemannia. Sic Austria nunc appellatur, quæ olim Pannoniæ pars erat. add. AENEAS SYLVIUS *in Statu Eur. sub Frid. III. Imp. cap.* 2. *ap.* FREHERUM *T.* 2. *rer. germ. f.* 43.

h) Vastohas volumine descripsit LAZIUS. Ast caute legendus.

i) PROCOPIO scil. atque ex recentioribus ORTELIO, quos ideo perstringit CLUVERIUS *L III. germ. antiq. c.* 39. Longinquitas Autores illos excusat; nec mirum, insulas ab iisdem confusas, cum ipsa gentium antiquarum nomina à nonnullis pravè olim distincta testetur, & hinc eos breviter quidem sed argute notet DOUSA *in Annal. Holland. p.* 62. 63. TACITUS *in Agricolâ c.* 10., *Thylen* pro *Thule* legit. Verum hæc lectio improbatur CLUVERIO *d. l. fol.* 168. *Thulen* nihilo minus etiam reperimus in STRABONE *Geographic. L. IV.* POMP. MELA *L. III. de Situ Orbis c.* 6.; atque PLINIO *L. II. hist. nat. c.* 75. it. *L. IV: c.*16: qui ultimus Autor *L. IV. c.* 13. ad discernendam *Scandinaviam* ab Insula *Thule* opem fert.

k) Hoc encomio *Scanziam* suam, nobis *Scandinaviam*, ornat JORNANDES *de rebus geticis* §. 13. Aliis alia placent. CLUVERIUS etenim *l. c. c.* 34. in dubium vocat illam variarum gentium originem, cui MICRAELIUM & HORNIUM accenset HARTKNOCHIUS *Pruss Vet. c.* 2. §. 5. *f.* 48.

l) Ex HARTKNOCHII *Pruss. Vet. c.* 2. §. 18; cujus contenta latio donata videsis inter *Dispp.* DUSBURGIO *adjectas Disp.* 3.

ſatisfaciemus generalem limitum conſtitutionem exhibentes. Sufficiat itaque, Pruſſiam Pomerania, Oceano, Maſovia, m) Ruſſia n) & Polonia tum temporis fuiſſe circumſcriptam.

§. V.

Iſtam Pruſſiam circa exitum Sec. X., a viris Chriſtianæ

§. 14. it. ex HENNEBERGERI *ſuccincta deſcript. terr. Pr. p. 1. ſeqq.* & WAISSELII *Chron. Pr. p. 1. ſeqq.* adde etiam quoad aliquam Pruſſiæ Partem illa, quæ a nobis in ſequentibus obſervata.

m) Adjecta hisce conſtitutis limitibus *Maſovia* locum habebit, licet MECHOVIUS *L. II. c.* 14. CROMERUS *Lib. IV. in* PISTORII *Corp. hiſt. pol. f.* 449; & alii *Maſoviæ* nomen a *Maslao* poſt obitum *Miesconis II.*, quem Anno 1034. contigiſſe narrant, derivent, Plocenſemque diſtrictum tunc Mazoviam appellatam opinentur. Tantum enim abeſt, ut omnes huic derivationi ſubſcribant, ut SARNICIUS potius *Lib. I. Annal. Polon. fol.* 34. *& Lib. VI. f.* 228. 30. diſerte teſtetur: *nequaquam* ipſi eſſe *credibile, gentem tam generoſam a latrone, quem Jaziges in crucem gratificaturi Caſimiro egerant, cognomen ſibi quæſiviſſe.* Ne autem *Sarnicium* nimium dixiſſe exiſtimemus, notandum erit, KADLUBKONEM antiquiorem Poloniæ Hiſtoricum conſentire, cui *quidam de ſordido famulitii genere, avo originario, ſed vir facundus & ſtrenuus Moslaus nomine* dicitur, prouti ſcribit MATTHAEUS in KADLUBKONE *l.* 2. *hiſt. pol. poſt* DLUGOSSUM *edit. Lipſ. col.* 652., *quem Getæ patibulo affigunt. ib. col.* 653. per *Getas* vero interprete COMMENTATORE intelligit *Prutenos*; ib. *Lib. I. col.* 623.

n) CLUVERIUS *Ruſſiæ* viciniam negavit, quam contra eundem demonſtratum ivit HARTKNOCHIUS *Pruſſ. Vet. c.* 1. §. 2. *f.* 3. & *Diſp.* 3. §. 13.

ianæ fidei addictis, nomen Christi, in quo unica salu-
s nostræ spes, percepisse certissimum. Antiquiora
mpora probabilitatibus, & his ut plurimum levissimis
ituntur. Vicinia equidem Poloniæ & Prussiæ aliquam
aturioris prædicationis suppeditaret speciem, si, quæ
oloni o) de lumine Evangelii jam olim sibi oborto
loriantur, cimmeriis non obvoluta essent tenebris.
iterea, cum aliis tales arrideant næniæ, hinc, ne nostro
ntum sensu abundare, optimasque primitias & cir-
imstantias oscitanter siluisse videamur, dicta ab iis bre-
ssime attingemus.

§. VI.

Observamus itaque, eos, qui Polonorum religio-
em scrutantur, hujus primordia altius petere solitos,
atim post resurrectionem Salvatoris, initia reperisse
igantur. Nam *ex Actis Apostolorum* p) & *inscriptione*
tri q) *viros Ponti religiosos, electosque advenas* sibi ven-
care conantur. Verum hæc sponte sua ruunt, cum
ies Ponti, historicorum illius ævi fidei contrarii regan-
r. r) Atque adeo nec *Polonia* nec *Prussia* aliquem
de religionis antiquum splendorem jure mutuabunt.

§. VII.

o) DAMALEVICIVS *in*
. Episc. Vladislav. Id. in Ser.
chiEp. Gnesn. LVBIENSKI
vit. Episcop. Plocen. inter Opusc.
h. & ipsi Polonorum Histo-
i.

p) *Actor. II,* 9.

q) 1. *Petr. I,* 1.

r) Latius illa deduxit contra supra citatos Autores HARTKNOCHIVS *L. I. Hist. Eccl.* c. 1. §. 1.

§. VII.

Ne tamen, priori refutato argumento, per longam annorum feriem filere illos oporteret, S. ANDREAM *Apoſtolum* ſubnectunt, ejusque *iter Scythicum*, s) fundamentum plantatæ religionis jaciunt, nodum non ſolventes, magis potius implicantes. ANDREAM equidem *Scythiam* adiiſſe plerique t) teſtantur. Aſt *Scythiæ* prolixitatem u) mente ſolicita perpen-

s) Quod omnia iter iſtud concernentia ex *Annalibus Ruſſorum* hauſerint, fateri coguntur ALEX. GVAGNINVS *in deſcipt. Sarm. Europ. in Moſchovia fol.* 17. SARNICIVS *L. III. fol.* 76. & 83. DAMALEVICIVS *cc. ll.* LVBIENSKI *d. l. fol* 301. In illo tamen ultra modum ſunt liberales, quod ſingula, quæ Scythiæ tribuuntur, ad Polonorum trahant majores, qui vix minimam eo tempore hujus regionis incolebant partem. Ipſe quoque GVAGNINVS novos ætate Lechi introducens incolas, oblivionem priſtinorum temporum inculcat.

t) MARIANVS SCOTVS *ad A.* 72. & NICEPHORVS CALLISTVS *L. II. Hiſt. Ecclеſ. c.* 39, Andreæ Scythiam convertendam ſorte obtigiſſe perhibent. EVSEBIVS *L. III. Hiſt. E. c.* 1. affirmat, Apoſtolos provincias ſortitos eſſe, addens: *ſicut traditio continet.* Hinc credibile, alia traditione gaviſum fuiſſe OTTONEM FRISING. *L. III. chron. c.* 15. ſcribentem: *Adiiſſe Andream Achaiam-Simonem & Thaddeum Scythiam.*

u) De ea conſule HERODOTVM *in Melpomene, ſ. Hiſt. L. IV.* DIODORVM SICVLVM *L. II. biblioth. hiſt. c.* 43. JVSTINVM *Lib. II. c.* 2., & potiſſimum STRABONEM *in Geograph.* quibus adde, ſi lubet, GOBELINVM PERSONAM *in Coſmodrom. æt.* 1. *c.* 4. & 5. *ap.* MEIBOMIVM; ac ALTHAMERVM *in* SCHARDII *Tom. I. rer. germ. fol.* 3.

pendenti, itineris Apostolici descriptio v) non faciet satis, præsertim cum non ab omnibus eadem explicetur methodo; x) unde etiam ista narrationis diversitas

B fidem

v) GVAGNINVS ex Russis, & ex illo alii adserunt: *S. Andream ad Kioviam, tunc temporis metropolin Russiæ adverso flumine pervenisse.* Quapropter merito gratulari sibi poterunt Russi de antiquitate Civitatis, quæ nobiliori eos quam Scytharum vel Sauromatarum stirpe ortos demonstrat. *His* enim *nec domus ulla, aut tectum, aut sedes erat, armenta & pecora semper pascentibus, & per inculeas solitudines errare solitis.* JVSTINVS *alleg. l.* Facilius sane historicis quam populis civitates atque metropoles existunt, & temporis puncto sæpius scribuntur, quæ demonstranda multorum annorum vigilias poscunt. Melius GVAGNINO SARNICIVS *l. c. f.* 76. 77. semet explicat; Kioviam is tacet, & post iter ex aliorum fide allegatum hanc addit notulam: *Hæc si vera sunt.* Optime & luculentissime autem HERBERSTAINIVS *comment. rer. moscov. p. m.* 28. *b.* (hæc editio ideo notabilis, quod Autor nomine *Sigism. Liberi* ibi occurrat, & probabile sit, ex ignotantia editoris verba: *Liberi Baronis*, divisa fuisse, primumque loco nominis hereditarii oscitanter admissum. Prodiit Antverpiæ 1557. in 8vo.) rem expedit, narrans: *Andream adverso flumine ad montes*, VBI NVNC CHIOVIA EST, *navigasse.*

x) JACOBVS namque à VORAGINE *Episcopus Genuensis in historia Lombardica* (istum verum hujus tractatus Anonymiani Autorem esse indicat TRITHEMIVS *de Script. Eccles. Part. I. Opp. fol.* 300.) ita scribit: *Andreas apud Scythiam prædicavit, post Mirmidoniam ad urbem pervenit, ubi vidit Matthæum: inde in Achaiam proficiscens, ibi Ægeæ ProConsulis jussu cæsus manibus pedibusque cruci alligatur, in qua etiam expiravit.* GVAGNINVS, de quo HARTKNOCHIVS ostendit, eum fœtum suum debere STRYKOVIO, Apostolum *ex Kiovia* post alia itinera *per mare germanicum Romam usque navi-*

fidem dubiam reddit. Nullatenus igitur & hæc ANDREÆ peregrinatio gloriam *Polonorum* ſ. *Pruſſorum* intuitu religionis adaugebit.

§. VIII.

Mirandum ſane, lynceos illos antiquitatis vindices ſuæ non applicaſſe deductioni Epiſcopos, quos ſequentibus temporibus Scythiam habuiſſe Autores y) notarunt; cum certe pari, ſi non juſtiori z) ratione lumen

gaſſe, poſtremo in Peloponneſo Græciæ crucifixum fuiſſe recenſet. LUBIENSKI *d. l. ex Achaia Iſtro transmiſſo Scythiam Europæam ingreſſum* dixiſſe contentus.

y) BRITANNIONIS, Scytharum ſub Valente Epiſcopi meminit THEODORETUS *Lib. IV. H. E. c.* 35. & NICEPHORUS CALLISTUS *Lib. XI. c.* 29; THEOTINI, qui miraculis etiam claruit, mentionem injicit SOZOMENUS *Lib. VII. c.* 25. Imo, ſi præ Scythia *Pontus* vindicibus illis arriſerit, adduci poterit BASILIUS, poſtmodum *Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus*, qui Ponti incolas ad Chriſtianam duxit religionem, teſte RUFFINO *L. II. c.* 9. THEODORETUS etiam *L. V. c.* 28. ſuccurret, ſcribens, *Joannem Chryſoſtomum, Pontum Legibus ornaſſe de Sacerdotum vita recte inſtituenda.* Qui magnus Epiſcopus, *aureum os* aliis dictus, nec *Scythiæ* neglexit Salutem, *comparavit enim viros æmulatores Apoſtolicorum laborum, eosque ad Scythas miſit. l. c. c.* 31. cui ſubjungit THEODORETUS, ſemet *incidiſſe in literas ſcriptas Leontio Ancyrano Epiſcopo, quibus & Scytharum converſio ſignificabatur, & petebantur idonei doctores, qui in Scythiam mitterentur.*

z) Licet juſtiorem hanc probabilitatem nuncupemus, nullatenus tamen eam defendimus. Juſtior vero videtur, reſpectu ipſius memoratæ Scythiæ, cum potiſſimum ſupra allegatis locis incolas ultra Danubium, ſi Conſtantinopolin ſpectes, habitantes

men Evangelii Poloniæ, regionibusque finitimis inde ljudicari posset. Sed mittimus ea; lubentes etiam nnia, quæ de SVIBERTO aa) traduntur pravæ entium confusioni tribuimus, ut paulatim scopo noro appropinquemus.

§. IX.

Antequam tamen prorsus ab incertis temporibus eamus, CYRILLVM atque METHODIVM bb) obiter

telligi, innuat NICEPHORVS CALLISTVS *L. VII.* 49. Ac hos vicinia cum Polos, fama vero religionis procul bio cum Prussis conjunxit.

aa) Hunc CLAGIVS *Lib. I. nd. Marianæ c.* 7. & LEVCHIVS *in Vit. Sanctorum*, Prussis ædicasse ajunt. Probe autem, rum opinionem male intellee Bructerorum vel Boructuarorum & Prutenorum differen: tribuendam esse, nec admitti sse jam pridem evicit HARTNOCHIVS *d. l. in H. E.* §. 6. EO diserte fatetur *Lib. I. f.* 34. um SVIBERTVM, *qui na. A.* 647. *mortuus A.* 717. *per nnium primum in Prussia Evangem Christi prædicasse.* Quid clas poscendum, si adesset dunxat subsidium probabilitatis?

bb) Ab Hadriano Nicolai successore *ambo missi sunt ad prædicandum Evangelium Slavis, quorum lingvam didicerant*; BARONIVS *Tom. X. Annal. Eccles. ad A.* 867. *no.* 132. Methodius vero Moravorum Ecclesiis præfectus Archi-Episcopus ad suspicionem doctrinæ heterodoxæ amovendam a Joanne VIII. A. 879. Romam vocatus, A. 880. falsitatem inculpationis, seque verum Orthodoxum coram Pontifice ostendit. *Id. ad A.* 879. *no.* 76. & eodem anno literis innocentiæ suæ testibus munitus revertitur. *Id. ad A.* 880. *no.* 15. Hæc ex Baronio. CANISIVS autem *in not. ad Disput. cum Rockyzana Tom. III. Lect. Antiq. Part. II. p.* 522. ex AVGVSTINI *Præpositi Olomucensis Catal. Episc. Olom.* qui

obiter tangimus, præsertim cum ille *omnium pene Slavorum Apostolus* cc) audiat, hic vero in Moravia, aliisque dd) regionibus Evangelium docuisse legatur. Historicos

DVBRAVIO etiam adnexus reperitur, sequentia adfert: *Primus Archi-Episcopus Moraviæ Cyrillus, natione græcus, prius Constantinus Philosophus dictus, a Nicolao I. Pont. M. 87. supra 800. sedem Velegradensem suscepit, postquam Triballos primum, inde Svatoplukum Moravorum Regem cum universa gente (quæ Vistula, Danubio ac Vago fluvio terminabatur) in fide Christi initiarat. Fuere hi Marcomanni, veterum quondam historiis celebratissimi. Hic cum Ecclesiæ 5. fere annis præsedisset, Archi Episcopatui cessit, Adrianique Pontificis nutu Methodium fratrem Ecclesiæ Velegradensi præfecit. Qui cum a juniore Svatepluko multis injuriis ac contumeliis cum clero suo afficeretur, Ecclesiæ huic sacris interdixit, Romamque concessit, revocatusque non multo post, cum nihilo remissius Rex in Clerum sæviret, omnibusque sceleribus & vitiis homo sangvinarius flagraret, B. Methodius gregis sui perditionem ferre non valens, Romam iterum rediit, atque illic A. C. 907. ex hac luce migravit.* Nævos historiæ in his verbis occurrentes exponere prolixum nimis foret: Hic saltem notamus, Scriptorum medii ævi Maharenses, Margenses atque Margentes cum Moravis his convenire.

cc) Hac denominatione utitur AVTOR *Chronici Mindensis in* MEIBOMII *Tom. I. fol.* 557. & MECHOVIO *L. I. c.* 13. idem *Doctor & Apostolus omnium Slavorum* nuncupatur. Observamus, omnes Slavos, pro omnibus unius Slavici surculi Slavis ab Autoribus quandoque usurpari. Quod unico exemplo ostendisse sufficiat. Sic MARIANVS SCOTVS *ad A.* 1004. scribit: *Genricus Rex* (Henricus II. Imp.) *Bohemiam & Boleslaum Ducem cum omni Slavorum gente subjugavit,* & idem in *Chronico Stederburgensi* apud MEIBOMIVM *Tom. I. f.* 450. ita exprimitur: 1001. *Henricus Rex Boemiam & gentem Slavorum superavit.* Differentia annorum historico hæsitationem non eliciet.

dd) CVRAEVS *Annal. Siles.*

ricos ultra modum fuisse in illa appellatione largos, quilibet late diffusæ variæque ee) Slavorum gentis gnarus fatebitur: nec Poloni, de Majoribus ff) suis adhuc disceptantes, omnes statim largientur, se Slavis adnumerandos. Quod vero Prussos attinet, de his equidem novimus, Pomeranos Slavos eorum fuisse vicinos, in ipsa

fol. 30. Moravos & Bohemos convertisse Methodium non solum credit, sed & hac fiducia ductus, *Æneam Sylvium* in Historia conversionis bohemicæ errasse errorem centum annorum audacter pronunciat; non tamen Æneæ, ast typographo forsitan illud mendum deberi blanditur. Adstipulatur DUBRAVIUS, *L. IV. hist. bohem. fol.* 26. 30. Borivorium ejusque conjugem a Methodio aqua salutari tinctos referens: Addit *id. f.* 31. præter Moravos atque Bohemos in Mysia quoque Bulgaros & eorum populares Gazaros iis Pontificibus Christianismum debere. confer AENEAE SYLVII *hist. bohem. c.* 13. *in* FREHERI *Scipt. rer. bohem.*

ee) *Slavi*, aliis etiam dicti *Sclavi* vel *Sclavini*, prouti diversas occuparunt sedes, ita diversis innotuerunt nominibus, quæ, licet non emendata, sine allegatione Autorum posuisse, satis erit. Erant itaque *Sclavi Obotriti*, *Wilzi* s. *Weletabi* vel *Luitici*, hinc *Kyzini*, *Circipani*, *Tholenzi*, *Rhedari*; *Rhani* s. *Rugiani*, *Sorabi*, *Hevelli*, *Linones*, *Siusli*, *Wagiri*, *Polabi*, *Charentani*, *Bejemi* s. *Boëmani*, *Marahenses*, *Dalmatii*, *Pomerani* &c. vid. AD. BREMENSIS *L. II. H. E. c.* 10. 11. 13. 14. it. *Annales Pithœani in* 8*vo* passim, aliique.

ff) De his Historicus insignis *Cons. Dn.* LENGNICHIUS peculiari Dissertatione egit, & in eadem, defendendo *Lazios*, quorum Procopius meminit, quousque probabilitatis historicæ filum ducere possit, acute ostendit. Non incongruum erit monuisse, Polonos aliosve, cuicunque favent genti, sub illius nomine reliquas, toto licet cœlo diversas, etiam complecti, ubivis Vandalos, Slavos &c, collocantes.

ipſa vero Pruſſia gg) Slavos habitaſſe, niſi Slavorum nomen ad omnes fere populos extendere quis maluerit, vix demonſtrabitur. Unde merito Polonis atque Boruſſis omne religionis commodum intuitu horum Virorum abjudicamus.

§. X.

Hactenus de maxime incertis: brevibus adhuc de paululum certioribus, aſt firmo tamen fundamento deſtitutis. Optimum namque argumentum famæ de Chriſtiana religione ad Pruſſos perlatæ ſuppeditaret Fundatio Epiſcopatuum hh) in Polonia ſub Miecislao A.

gg) Conſule HARTKNOCHIVM *Pruſſ. Ant. c.* 1. 2. it. *Diſput. poſt* DVSBVRGIVM 2. & 3. & HENNEBERGERVM *jam ſupra citatum*.

hh) Miecislaum in infantia cœcum, Mieſzkonemque appellitatum, ſeptennem in tonſura viſum recepiſſe, omnes confitentur Polonorum hiſtoriæ. Addunt recentiores, eundem ad Principatus gubernacula admotum, ſalutari lavacro tinctum Chriſto nomen dediſſe, duosque Archi-Epiſcatus cum 7. Epiſcopatibus erigi curaſſe. Quod Dlugoſſi commentum Cromerus expolivit; reliqui ad verbum fere ſecuti. Corruiſſet illud ſine fulcro Cromeriano male cohærens fundatæ in Polonia religionis ædificium, cum lacunæ ibidem occurrant non paucæ. Accuſandus enim in eo merito Dlugoſſus, quod ratione temporum ſæpiſſime allucinetur. Et ne ex aliorum ruinis famam ædificare videamur, quosdam in hac materia duntaxat contra chronologiam commiſſos notabimus nævos. Piaſti hoſpitalitatem, fidem Hiſtoricorum Polonicorum ſecutus, tribuit Anno 904. addens, præfuiſſe eo tempore Eccleſiæ Catholicæ AGAPITVM II. *Lib. I. Edit. Lipſ col.* 81. Agapitus vero circa medium Seculi X. in ſolio ſedit Pontificali. (v. PLATINA

A. C. 966. facta, nisi aperte falsa huic inserta essent narrationi. Culmensis ii) enim atque Crusviciensis dioeceseos Episcopi nullatenus otiosos abominandæ inter Prussos idololatriæ kk) spectatores exhibituri fuissent,

de Vit. Pontif. p. m. 335.) Post mortem Patris Filius succedit A. 901. *col.* 84; hoc mortuo A. 912., v. *col.* 85. Lesco regnat, *col.* 86. Filio Lesconis Ziemomyslo nascitur Filius cœcus, postea visu donatus. *col.* 87. Ziemomyslus 8. tantum annis clavum Reip. Polonicæ dirigit. *col.* 89. & post ejus mortem heros noster Miecislaus, qui visum regnante patre, *col.* 87. receperat, & A. 964. 12., vel, si nimium concesserimus, 14. annorum erat, *septem* jam *utebatur pellicibus*, atque impatiens describitur, quod steriles consumeret annos, nec dulce patris posset cognoscere nomen *col.* 89.; A. 965. Dambrowkæ nubit. *col.* 93. &c. Ut taceamus ætatem Piasti, probabilitatis terminos excedentem; & nihilominus eandem Ziemomyslo tribuit.

ii) Lubricitatem fundationis hujus Episcopatus docte pro more ostendit supra laudatus *Dn.* LENGNICHIVS *in Dissert. de Religionis Christian. in Polon. init.* COMMENTATOR sane KADŁUBKONIS *Tom. II. Dlugossi col.* 645., qui ante Dlugossum scripsit, hujus Episcopatus non meminit, & alium quoque ordinem atque numerum imo fundatorem Episcopatuum adstruit. HELMOLDVS itidem (vixit hic Sec. XII.) *L. I. c.* 1. Poloniam in 8. *Episcopatus* dividi diserte fatetur. Quod dictis in §. 2. & 17. *cit. Dissert.* adjiciendum judicavimus. v. HARTKNOCHIVM *L. II. de Rep. Polon. c.* 3. §. 2.

kk) Probe scimus introductionem Christianæ religionis supponere ejectionem idololatriæ; Cum tamen illius introductio non involvat, ut singula religionis capita percurramus. Inde nec exterminium hujus, idolorum sedulam descriptionem expresse poscit. Illi igitur nunc supersedentes operæ, Lectorem ad HARTKNOCHIVM *in Vet. Pruss. c.* 5 — 9. *atque Ejusd.*

sent, nisi Polonicæ conversionis, iis temporibus assignatæ, magnum opus illos fere totos occupasse fingere velimus. Sed linquimus tandem illos antiquitatis defensores, & ad ipsa Prussicæ conversionis initia pertractanda, martyrumque in Prussia cæsorum vitam mentem admovemus.

§. XI.

ADALBERTVS ll) est, qui primam, quantum scimus, Prussis convertendis, at frustraneam & infelicem navavit operam. Dignus, cujus vitam mm) cujus

Differt. 6 — 10. *Dusburgio junctam* remittimus. Sectione forsitan sequenti occasio subnascetur, quædam de Idolis Prussorum & eorum idololatria adjiciendi.

ll) Licet diversis modis ab Autoribus nomen hoc legatur, differentia tamen lectionis nihil obstat. Aliis vocatur *Albertus*, nonnullis *Adalbertus*, *Adelbertus*, *Ethelbertus*, *Athelbertus*, *Woitiehius*, *Woitlech* & *Woyciech*. Posterioris appellationis occasionem in sequentibus exponendam servamus.

mm) Eam jam olim duo coævi Scriptores exararunt, & occurrunt, altera in SVRII *Tom. II. Vit. Sanctorum ad d.* 23. *April.*; altera in CANISII *Tom. V. Lect. Antiq. Part.* 2. *p.* 329 — 354. Posterior etiam COSMAE PRAGENSI a FREHERO denuo *Hanoviæ* 1607. *edito*, atque BZOVII Continuatoris Baroniani *Tomo XX. Annal. Eccles. f.* 598 — 608. addita apparet. Prima incipit: *Nascitur purpureus flos &c.* Secunda: *Est locus in partibus &c.* Male utramque expressè non distinxit HOPPIVS *in Schediasm. de Script. hist. pol. præfixo edit. Dlugossi Lips. Tom. I.* §. 55. *col.* 140. cum ad verbum, imo in narratione ipsa differant. *Suriana*, ipso Surio teste, quod latinitatem concernit, immutata. *Canisiana* vero a *Freheriana* in distinctione capitum abit, quorum illa 44. hæc 30. tantum absolvitur. *Bzoviana* medium tenet, 36. constans capitibus. Utriusq;

cujus etiam martyrium tricis innumeris implicatum diligenter excutiamus. Ad introductionem enim religi-

C onis

autorem, quantum licet, expiscabimur. De *Suriana* igitur persvasi sumus, quod S. Bruno, Successor D. Adalberti in martyrio, eandem composuerit, cujus demonstrationem ad not. yyyyyy rejicimus, ubi plura de eodem Martyre. Quoad *Canisianam*, BZOVIUS *Tom. XX. fol.* 568. *col.* 2. rem expedit, dicens: *scripsisse Gerbertum, cum jam Pontifex esset, & Sylvester nominaretur, vitam* S. ADALBERTI *Martyris, Pragensis Episcopi, Ungariæ & Poloniæ Apostoli &c.* Frustra eandem quidam adscripsere COSMAE PRAGENSI; & miramur, istum errorem ab HELWICHIO, infra citando, *Disp.* 1. §. 1. foveri, cum tamen ignorare non poterat, HARTKNOCHIUM jam dudum *Dissert.* 2. §. 1. id mendum repurgasse. Ansam errato ipse dedit COSMAS verbis quibusdam, male a Lectoribus intellectis. Scribit enim *Idem Lib. I. Chron. Bohem. ad A.* 995. *Quid sibi* (ADALBERTO) *suus grex responderit, — scire poterit, qui vitam ejus s. passionem legerit. Nam mihi jam dicta bis dicere non placet ista*; ubi interpretati sunt: *jam dicta*, acsi ab ipso COSMA dicta fuissent, cum ea tantum verba inferant, tempore Cosmæ vitam ADALBERTI scriptam extasse. Ante BZOVIUM jam BARONIUS *Tom. XI. Annal. Eccl. ad A.* 1003. *no.* 6. & *in Martyrologio Romano ad d.* 23. *Apr.* dixerat, *asservari hanc vitam in Bibliotheca Cassinensi.* BZOVIUS autem eandem sub hoc edidit titulo *l. c.* S. ADALBERTI *Ursini, Comitis Rosembergii, Pragensis Episcopi, Gnesnensis Archi-Episcopi & Martyris, Boëmorum, Hungarorum, Polonorum, Prussorum Apostoli Vita & Passio ab Ejus Synchrono & Familiari* SYLVESTRO II. *P. M. edita.* Illam etiam aliquot notis, quæ tamen non magni momenti, illustrat, & tandem *fol.* 610. testimonia BALDVINI JVNII, SPONDANI & BARONII affirmantium, SYLVESTRUM II. hanc vitam scripsisse, subjicit. TRITHEMIUM, solertem alias Scriptorum Ecclesiastico-

onis curate desctibendam, circumstantiæ introducentis multum juvare possunt. Nullatenus tamen vitio nobis vertendum erit, quod a turbæ aliquando recesserimus opinione. Non quantitatem, qualitatem votorum consideramus. Fabula, quæ ex uno quodam male cœpta,

rum indagatorem, qui Pontificis illius Scripta in *Chron. Hirsaug. Part. II. Opp. fol.* 42. recenset, sive tractatum ipsum sive Autorem tantum latuisse, probat silentium. Cum in sequentibus utraque vitæ editio nobis sæpius alleganda veniat, alteram *Surianam*, alteram *Canisianam* brevitatis studio plerumque nominare placuit. Inter recentiores BOLELUCZKI suam operam huic Martyri, vovit compilando *Rosam bohemicam f. Libros duos de Vita & Martyrio* S. ADALBERTI, quorum posterior ANONYMI cujusdam *illustrationem Cantici Adalbertini* continet. *Idem* BOLELUCZKI *cit. tr. c.* 9. §. 1. *p.* 209. Vitam S. ADALBERTI, quæ *Postillæ* VUGECII bohemice translatæ appendicem efficit, allegat, uti & passim in notis DRAUSCHOVII *Vitam* S. ADALBERTI, RIBADENEIRAM & alios citat, quos tamen non curavimus. Hactenus memoratis addimus DAMALEVICIUM *in Vit. ArchiEpisc. Gnesnens.* (cujus mentio benevolam atque promptam hujus aliorumve Librorum communicationem a *Viro profunde Erudito* Dn. VALENTINO SCHLIEFFIO, *Consule, Mæcenate devenerando* nobis factam publice deprædicare, atque insimul RELIQUIS *submisso cultu prosequendis* FAUTORIBUS gratiarum nostrarum humillimarum thura libare jubet) qui *pag.* 57 — 64. ADALBERTI etiam gesta explicat. Desudavit itidem in hoc labore CHRISTIANUS HELWICHIUS *duabus Dissertationibus de Vita S. Martyris* ADALBERTI, *Hungarorum*, *Prussorumque Apostoli Regiom.* 1693. *habitis*; quarum elaboratio vix proditorem immutatæ postea religionis ageret. HARTKNOCHIUS non omittendus, præter alia loca *L. I. H.E. c.* 1. §. 8 — 10. Vitam delineans.

cœpta, deinde ſecutis tradita temporibus, ſeriſque Nepotibus aucta pueros occupet. Hiſtoricum ſcopulos Syrenum obturatis fugere auribus oportet. Hinc etiam multa, quæ ab aliis nn) Adalberto tribuuntur, conſulto omiſimus.

§. XII.

Natus oo) hic ADALBERTVS ex Patre Sla-

nn) Aliorum igitur judicio relinquimus DAMALEVICIVM *l. c. p.* 64. ex Barlenk referentem: *Bruta arrectis prædicanti Adalberto adſtitiſſe auribus.* Cui narrationi DVBRAVIVS, ut eo jucundior connexio videretur, *Lib. VI. hiſt. bohem. fol.* 47. præter enumeratas animalium ſpecies addit, *nutu illa capitum approbaſſe*, *quaſi bene per* ADALBERTVM *monita ſentirent, intelligerentque.* Plura certe in Autoribus *not. antec.* adlegatis reperiuntur, quæ rectius, cum ipſum veritatis hiſtoricæ nexum obfuſcent, negliguntur.

oo) Quo año mundum ingreſſus ſit in vitis non invenimus. Determinare tamen recentioribus aliquod placuit tempus, conſtituentibus A. 939. v. HARTKNOCHIVS *l. c.* §. 8. & ex eo *Doctiſſ.* Dn. SEYLERVS *in Illuſtrata Pruſſia Tom. II. p.* 82. Verum cum ex ſequentibus innoteſcat, ADALBERTVM *per novem* tantummodo *annos pulverem deglutiſſe ſcholaſticum, puerum quoque Magdeburgum miſſum,* (quod ultimum *Vita Caniſiana* clariſſime oſtendit) *ibidem ſancto chriſmate ab* ADALBERTO *ArchiEpiſcopo linitum, imo tempore mortis Ditmari laſcivientem adhuc & effrenem extitiſſe adoleſcentem*; præterea, cum quoque *not. qq.* oſtenſuri ſimus, Annum 969. de cœpto Epiſcopatu intelligi non poſſe, cum inexplicabilibus laboret nodis, & ultra integrum decennium progrediendum ſit; hinc adoleſcens ille quadragenarius vix ſine morali interpretatione, quæ tamen laudi martyris, mirum, quantum! detraheret, admitti poterit, & iſte annus titubabit. Probabilem equidem hujus erroneæ opinionis fontem reperiſſe cre-

Slavnik, pp) Matre Strzezislava, qq) Parentibus illu-

debamus in ipsa Episcoporum requisita ætate, quod essentiale facile alios ad devia ducere poterat. *Nam, in Episcopum neminem eligi, nisi qui jam tricesimum ætatis annum exegerit,* vult *c. cum in cunctis X. de Electione & El. potest.* Cum vero, ADALBERTUM ad Episcopale culmen juvenem pervenisse, quilibet antiquiorum notaret Autorum, justam annorum seriem, admisso anno Electionis 969. cancellis 6. lustrorum terminabant. Verum ne primas nobis in hac suspicione oborta vindicaremus, obstitit HELWICHIUS *Disp.* 1. §. 1. ex BOLELUCKI ostendens, illam conjecturam jam olim aliis subnatam fuisse; Et tandem ipsum BOLELUCKI ex Clarissl. LILIENTHALII, de quo Prussia sibi merito gratulatur, Bibliotheca instructissima atque favore non reticendo nobis communicatum evolvere licuit, ubi *P. l. c.* 3. §. 2. plura, rem tamen minime exhaurientia, reperimus. Obscuritatem ibi quidem atque negligentiam priscorum illorum temporum accusat, non vero eandem emendat atque illuminat; addit e contrario quædam magis ludibrium martyris excitantia. Sic §. 3. statuit, *non nisi ante vigesimum annum Woytiechum*, cui ipse Autor *c.* 6. §. 1. *p.* 118. *acre ingenium, memoriamque summam juveni adscribit, Psalterium Davidis memoriæ imprimere potuisse*, cum tamen neminem lateat, in ætate puerili magis quam juvenili mentem ceræ æquiparari posse, cui omnes figuræ facillime imprimuntur. Nihilo minus hunc annum non admittere, §. 4. sibi religioni ducit. Sic loquitur: *Atque ita B. nostrum Episcopum Salutis A.* 939 *natum, pie credere persvadent. Olim futurum est, cum Sanctum Dei faciæ ad faciem intueri licebit, humanos errores felicius videbimus, ridebimus:* Num ita veritatem optime assequamur, præjudiciis liberi facile dijudicabunt. Ne vero hanc materiam sicco pede prætereamus, observandum, *eodem c. cum supra allegato* querelas occurrere, *de quibusdam aliquid pro necessitate temporis factum esse, &, ne hoc in exemplum a posteris traheretur, illam ætatem decreto statutam*; quod evidenter alios edocere poterat,

illustribus, rr) Slawnik enim Lybicensis ss) Comes, tt)

prius, sc. ante ALEXANDRVM III., qui naviculam sic dictam Petri circa finem Seculi XII. gubernabat, & hujus Decreti lator erat, eam ætatem non semper fuisse observatam. Unde nec ad annum nativitatis sine hæsitatione constituendum illa sufficere poterat ratio. Contrarium potius edoceberis conferendo not. aaa) Ut tandem nostram addamus sententiam, verisimile nobis videtur, post Annum 950. & si certus pro incerto nominandus, Anno 953. Behemiæ hunc apertum esse thesaurum. Tum enim pace quodammodo regio illa sub *Boleslao Sævo* fruebatur, quam cædes *S. Wenceslai*, A. 938. patrata, interverterat. Et inspectio minutiarum, quas biographi Adalbertini sedulo connotarunt, belli tam atrocis, ex atrociori adhuc facinore provenientis, male concoquit præteritionem. Cui accedit, quod necessitudinem sangvinis cum Henrico admittenti magis hic annus faveat. Verum quid de illa consangvinitate credere liceat, not. vv) ostendemus.

pp) *Sclavicus* vocatur BONFINIO *rer. hungaric. Dec. II. Lib. I. f.* 196. *cumque obiisse diem extremum A.* 981. testatur COSMAS *ad d. A.* BOLELVCIO vero magis Annus 983. arridet, ut hac ratione aliis pie persvadeat, mœrorem ex cæde filiorum conceptum miserum patrem confecisse. *c.* 11. §. 16. *p.* 316. Verum cum annus ille cædi non conveniat, v. infra not. ssss) præstabit forsitan, ut COSMAM Historicum 4. Seculis antiquiorem sequamur.

qq) Ex multum tortis reliquis nominibus hoc perspicuitas eligere svasit. BOLELVCZKI eam *c.* 2. §. 3. *p.* 34. *Sororem* BOLESLAI II. *Bohemiæ Ducis* nominat. Ast sibi non constans §. 11. *p.* 47., eandem *Wratislai ex Drahomira filiam, Boleslai Sævi & S. Wenceslai Sororem* dicit. *Mortuam A.* 987. refert COSMAS.

rr) Optime hæc dicta illustrat BALVZIVS *in not. ad Servati Lupi Opera p.* 482. *seq.* cujus verba expressa videsis in CYPRIANI *doctr. Christi mor. tractat. prælim. p. ult. not. m.*

ss) Fines hujus Comitatus ex COSMA PRAGENSI, inter-

tt) & cognatus uu) Henrici II. Imp. fuisse perhibetur.

sertis paucis, ex aliorum autoritate, emendationibus, subjiciemus: *Metropolis fuit* LVBIC (Lybicium) *sita loco, ubi amnis* CIDLINA *nomen perdit suum, intrans liberioris aqua* (forte, cursum) *in fluvium* LABAE. (LABIA, alias ALBA fluvius. DLVGOSSVS *L. I. col.* 22, recentioribus vocatur ALBIS:) *Habuit autem principatus sui hos terminos. Ad occidentalem plagam contra Boemiam, rivulum* SVRMA, *&* *castrum, quod est situm in monte* OSSEKA *juxta flumen* MSAM. (MISAM nominat DVBRAVIVS *L. I. Hist. bojem. fol.* 2. MIZAM HVBNERVS *Geograph. p.* 594.) *Similiter plagam ad Australem contra Teutonicos orientales has urbes habuit terminales;* HINON, DVDLEBI, NETHOLICI (CHEINORO, DAVBLEBIVM, & NETOLICZ legit BOLELVCZKI *c.* 2. §. 4. *pag.* 35.) *usque ad mediam Sylvam. Item solis ad ortum contra Moraviæ regnum, castrum sub Sylva situm* LVTOMIS, *vel usque ad rivulum* SVTTAVA, *qui est in media sylva. Item ad Aquilonalem plagam contra Poloniam castellum* KLADSCO, (*municipium Glacium*, DVBRAVIVS *L. XI. fol.* 94.) *situm juxta flumen nomine* NIZZAM. Illustrationis loco addimus locum ex BONFINIO *fol. cit.* 196. ubi sequentia: *Imperasse* LVBECO, *quæ Metropolis sita est, ubi* CIDLINA *fluvius* ALBIM *influit: Quin etiam in Boëmiam ad* SVRLNAM *&* NISAM *usque fluvium; in Teutones ad medium usque Hercyniæ sylvæ; versus Moraviam ad* SVITANAM *usque amnem, & in Polonia ad* GLASTVM *usque oppidum agrum amplificasse referunt.* add. BOLELVCZKI *l. c. c.* 2. §. 4. *&* 5. Bohemorum invidiam hujus districtus amplitudinem excitasse, nec tristes pravæ cupidinis effectus effugere potuisse, violenta metropoleos dirutio testatur, quæ eo tempore obtigit, quo ADALBERTVS in Monasterio Romano Bohemorum duritiem luxit.

tt) LANGIVS *in Chron. Citiz. ap.* PISTORIVM *fol.* 761. illum *Bohemiæ Baronem* nominat, adserens: ADALBERTVM *de nobili Boëmiæ Baronum prosapia ortum.* DVBRAVIVS *L. VI*

tur. Non tamen omnes Scriptores in utroque consen-

fol. 44. (*edit. Basil.* 1575.) *Libicensem* cum *Comitem* nominat, addita hac explicatione per parenthesin: *Sic enim, qui vicariam Principis Jurisdictionem regionatim per arces vel oppida administrabant, tunc appellabantur, ut nunc quoque apud Hungaros Comites vocantur, & apud Polonos Palatini.* Ulterius BOLELVCZKI *c.* 2. §. 2. *p* 30. *seq.* progreditur. Contra HAGECIVM enim & BALBINVM ostendere conatur, jam tum temporis COMITEM IMPERII nostrum fuisse *Slavnicum.* Ast conatur; cum ejus probatio satisfacere nemini possit. Ex *not. praced.* illud patebit, ejus Dominio Libicium subjacuisse; hoc vero dominium non utile sed directum fuisse, desolationis cum cæde 4. filiorum conjunctæ solers indagatio indicabit. Unde concludere secure licebit, *Virum illustrem* patrem *Adalberti* fuisse. Ex dictis etiam explicare facilius poterimus illa, quæ ap. SIGEBERTVM GEMBLAC *ad A.* 846. leguntur: 14. *Duces Boemanorum baptizari fecisse* LVDOVICVM.

uu) *Vita Suriana f.* 826. ponit: *Mater - juncta marito - qui contingit. Reges linea sangvinis, quem longe lateque jura dantem hodie tremit populus, adeoque* HENRICO *Regi accessit proximus nepos.* Cum vinculo sangvinis; enodando notam sequentem destinaverimus, hic tantum monemus, ex hujus loci verbis *hodie* & *Regi* ætatem Autoris elici posse. Scripsit igitur post obitum OTTONIS III. ast ante coronationem Imperatoriam HENRICI II. quam anno 1014. evenisse testatur DITMARVS *Lib. VII. chron. Merseb. in pr. p. m.* 183. *edit. Mader.* AVTOR *Chronici Magdeburgensis in* MEIBOMII *T. II. fol.* 275. ADALBERTVM *Regiæ Stirpis fuisse* notat. LVBIENSKI *in Vit. Episc. Ploc. fol.* 311. OTTONIS III. *Romanorum Imp. consangvineum* mártyrem appellitat, quod JOANNES DE LASCO *in Privil. Regni Pol. præf. fol. pen.* per *Nepotem ex Sorore* exprimit. HARTKNOCHIVS contra *l. c.* §. 8. WOYCIECHVM HENRICI I. *Aucupis dicti, Imp. Rom. ex sorore nepotem* esse statuit.

ſentiunt. De comitatu equidem parum diſceptatur, aſt ſangvinis vinculum ſuo non caret dubio. vv) Quod ani-

vv) Quod enim attinet locum ex Surio allegatum, ante omnia ſciendum, *Surium*, ne aures delicatiores offenderet, vitas illas alia Latinitate donaſſe, unde multa a primis Exemplaribus abeuntia ibi legi, quilibet cognoſcet. Hinc autem fides earum multum quoque vacillat, præſertim ubi graviſſimæ circumſtantiæ contrarium edocent. Jam olim præter alios CAR. LE COINTE *in Annal. Eccleſiaſt. Francorum* oſtendit, *Surio* ſoli non nimium eſſe fidendum. Si itaque veritas hiſtorica diſſenſum præcipit, merito eum rejicimus. Quod hic obvenire demonſtrabimus. Nepotes antiquioribus vocari fratrum ſororumque filios, ut & liberos ex patruis, notiſſimum. Hic vero loci per *proximum nepotem* non niſi *Sororu* intelligi poterit *filius*. *Imp.* HENRICVS II. autem An. 972. natus dicitur. Proavum HENRICVM I. *Aucupem Imp.*, Patrem HENRICVM II. *Ducem Bavariæ* agnoſcebat, quem Ducatum Avo illius Imperatoris HENRICO, Germano ſuo OTTO M. *Imp.* largitus erat ad ſaniora redacto. Extendamus itaque, quomodolibet voluerimus, Genealogiam, vix natu majorem ipſo Henrico inveniemus Sororem, quæ, ſi juſto elocata ponatur tempore, ADALBERTVS tempore Martyrii fuit in ephebis. Ipſa quoque Sororum ab Autoribus facta recenſio hanc refutat neceſſitudinem. De GISLA *Regina Hungarorum* communis Hiſtoricorum conſenſus. Addit AVENTINVS *Lib. V. Annal. Bojorum fol.* 393. GERPYRGEM, *Chimenſium Virginum maximam*, i. e. Abbatiſſam: Jungit aliam TRITHEMIVS *in Chron Duc. Bavar. Tom. I. Opp.* HETVIGIN, *Conjugem* LOTHARII *Burggravii Medeburgenſis*. Citra neceſſitatem prolixus forem, curate veritatem hujus Genealogiæ inquirens. Sufficit enim illas, quæ nominantur, Sorores, *S. Adalberti* non extitiſſe *avias*. Non leve etiam dubio illi pondus adjicit ſilentium DITMARI, Scriptoris HENRICO II. *Imp.* coævi. Hic S. ADALBERTVM *dilectum* OTTONI III. *martyrem*

animum utriusque parentis concernit, voluptas in patre, superstitio vero, in genitrice notatur. xx) Primus hic

D fili-

vocat, *Lib. IV. p.* 83. de sangvinis vinculo nihil memorans. Nec *altera Vita* tale quid fingere audet, quæ tamen ejusmodi splendorem studio reticuisse minime censenda, præsertim cum SYLVESTRVM talia latere non potuerunt. *Surio* refutato, *Chronici Magdeburgensis* verba etiam brevibus stringamus. *Regiæ stirpis* ibi dici ADALBERTVM, mirum non est, cum Duces Bohemiæ istis temporibus sæpius Reges audiant, & ex iis sangvinem traxisse, facile Autor peregrinus, Magdeburgensis tantum Ecclesiæ honorem ambiens, sibi persvasit. Ad Imperatores enim hoc consangvinitatis decus ipsum referre voluisse vix probabile, cum in sequentibus iter OTTONIS in Poloniam allegans, nihil ad scopum faciens adducat. LVBIENIVM vero & LASCIVM huic Poloniæ Patrono, & momentaneo per umbram ArchiEpiscopo blanditum esse, id zelo amoris patrii dandum. HARTKNOCHIVS, perspicax alias historicus, nodum alio modo solvere quæsivit. HENRICO II. commode insisti non posse cognoscens, ad HENRICVM I. *Imp.* cum BOLELVCZKI *c.* 1. §. 1. *p.* 8. *c.* 2. §. 1. *p.* 29. confugit. Tantum tamen abest, ut sic omnis eximatur scrupulus, ut ipsa etiam hic Genealogia ab aliis producta aperte contradicat, & præter hæc subruto fundamento hujus commenti *in not. oo.*, anno sc. nativitatis, ipsum fictionis ædificium collabetur. BOLELVCZKI interea, ut hoc matrimonium aliquo tingeret colore, & ut objectio simul removeretur, Sororem Imperatoris homini privato & Dynastæ tantum Bohemico nuptui datam fuisse, ex, nescio quo, Mæcenatis sui MSto refert, Patrem *Slavnikonis* in Misnia aliquid fortunarum possedisse *c.* 2. §. 3. *p.* 32. 33. Ast non confestim citationi ejusmodi MStorum fidem largiendam esse, historici norunt.

xx) SVRIVS id vult *f.* 826. his verbis: *Habitabat cum illo neglecta castitas.* Excusare eundem

filiolus conjugii erat fructus, quem morbus, yy) lethalis creditus, officiorum secularium spei eripiebat, & Votum Parentum, inde emergens, Ecclesiastico ordini donabat.

§. XIII.

Annos infantiæ supergressus Magdeburgum zz) ad

nititur in sequentibus, verum ita, ut matris superstitionem, patrisque libidinem acrius pungat, occasionem hujus peccati patefaciens: *Fœmina casta moribus, plena eleemosynis, fidem loquens operibus, nobilitati suæ pulchrum responsum dedit, sed discipula virtutis bene fit rea custos fratris. Nam dum fervet zelo castitatis, dum fit familiarius famula orationis, dat viro occasionem peccandi, non cum una, sed cum turba fœminarum.* Ipsa textus inspectio nullam hic emendationem verborum factam esse svadet, atque eo fortius veritatem asserti stabilit. Cui junge, quæ postea de Polygamia dicentur, illam inter Bohemos summo licet Episcopi accedente studio eradicari nullatenus potuisse, & magis ad assensum compelleris. BOLELVCIUM tamen ista verba non parum urunt, hinc ut semet expediat, HAGECIVM opponit, Autorem medii Seculi XVI., *istum*, ait, *testari*, SLAVNICI *Sarcophagum per multos annos odores fragrantissimos in festo* S. ADALBERTI, *nempe d.* 23. *Aprilis annue spirasse*, *T. I. c.* 11. §. 16. *p.* 317. Ecce argumentum stringens.

yy) Non curamus, num *corporis inflatio*, num *febris*, utramque enim Autores allegant, voti illius fuerit occasio. Nec ipsam votorum ejusmodi justitiam defendimus.

zz) Ea ætate enim non nisi in monasteriis sedes erat eruditionis, & Principes, stirpis quoque Imperatoriæ, Collegiis Canonicorum aut Monachorum demandabantur; quorum quædam Exempla in medium adfert MEIBOMIVS *in proœm. vindic. Billingan. Tom. III. rer. germ. fol.* 36.

ad ArchiEpiſcopum ADALBERTVM aaa) mittitur, qui

D 2

aaa) Primus hic eſt Archi-Epiſcopus metropoleos Magdeburgenſis, fundatæ per OTTONEM M. *Imp.* Poſt LIBVTIVM, *ex Cœnobitis S. Albani electum, in itinere* autem *mortuum*, hic A. 961. *ex Cœnobitis S. Maximini Succeſſor deſignatus*, & *Epiſcopus Rugianorum inſtitutus*, iſti populo Evangelium annuntiat. Incaſſum tamen ſe laborare videns, non ſine periculo vitæ A. 962. *revertitur*, & A. 966. *Abbas Wurtzburgenſi* (*Weiſſenburgenſi* habet BOLELVCZKI *c.* 4. §. 4. *p.* 82.) *cœnobio præficitur*, notante iſthæc omnia CONTINVATORE REGINONIS *ad dd. AA.* BARONIVS *ad A.* 971. *no.* 13. errore aliorum denudato, Charybdin evaſurus in Scyllam incidit. Monito enim Lectore, male confundi hunc *Adalbertum* cum Martyre, nihil enim inter eos præter nomen commune eſſe, ſubjicit: *His junge & tertium* ADELBERTVM, *Rugorum ordinatum Epiſcopum.* BOLELVCZKI eadem chorda oberrat, aliquantum tamen propior ſcopo evadit, ex REGINONE ADALBERTI *Succeſſorem A.* 962. *alium* ADALBERTVM *in Epiſcopatu Rugenſi* conſtituens. Hunc ille Magdeburgenſem credit fuiſſe Archi-Epiſcopum, non illum, *c.* 4. §. 5. *p.* 85. *Adalbertum* hunc, male a *Rugenſi* diſcretum, DITMARVS *L. II. p.* 29., *A.* 970. *ArchiEpiſcopatum adeptum fuiſſe* docet. Aliis alia arridet opinio. BARONIVS ex ADAMO BREMENSI *A.* 971. LANGIVS autem *in Chron. Citiz. f.* 758. *A.* 967. habet. Nobis mentio hujus ArchiEpiſcopi ad Annum natalem *Adalberti* martyris, *not. oo.*) deſignatum, magis roborandum egregie inſervire poteſt. Si enim A. 939. natus, (quod aliis placuit) Magdeburgum trigeſimo fere ætatis anno acceſſit, ubi *Otricum* Præceptorem nactus. Papæ! Diſcipulus barbatus! BOLELVCZKI ſcopulum hunc difficultatis obſervans, miſere torquetur, ne in eum illidat. Annum ergo ArchiEpiſcopatus *Adalberti*, & Scholaſticum *Woyciechi* conciliare ſtudet; aſt laudanda voluntas. *v. c.* 4. §. 7. Archi-Præſul *Adalbertus*

qui in confirmatione crismatis, bbb) nomen ejus *Woyciech* in *Adalberti* nuncupationem mutat, ccc) Ibi informationi OTRICI ddd) ab eodem traditur; cujus tamen

moritur A. 983. XII. Cal. Junii, referente DITMARO *L. III. p.* 52. Corrigendus igitur AVTOR *Compilationis Chronol. in* PISTORIO *f.* 731. *Episcopo Ruthenis ab* OTTONE I. *misso Martyrium tribuens.*

bbb) *Confirmatio* hæc partim in infantibus, partim in consecratione Episcoporum apud Pontificios usum obtinet. Utriusque suppeditabimus splendidum Exemplum. Primum exhibebit CAROLVS IV. *Imp.*, qui in juventute WENCESLAVS dictus, *confirmatus a Præsule ritu solemni, at nomen* CAROLI *R. Galliæ ferre jussus, non alio deinceps nomine, quam* CAROLI *nominatus fuit.* DVBRAVIVS *Lib. XX. hist. boh. f.* 192. Ipse idem testatur in Vita a semet conscripta, inter FREHERI *Script. rer. bohem. f.* 89. legenda. Secundum dabit BONIFACIVS, Germanorum Apostolus, qui in consecratione WINFRIDI deposuit nomen. v. MARIANVS SCOTVS *ad AA.* 715. 717. 719. & CHRONICA HAMELEN. *in* MEIBOMII *T. II. f.* 513. De hac materia consule SCHILTERVM *L. II. Inst. Jur. Canon. tit.* 2. §. 32. & erudite h. l. illustrantem ECCARDVM.

ccc) Difficultatem pronunciationis eam mutationem quoque promovisse, lubentes Scriptoribus concedimus, licebit tamen addere subnatam inde suspicionem. Aperte illa videtur ansam præbuisse, ut hodienum *etiam* Poloni *Adalbertum* idiomate patrio *Woyciech* nuncupent. BZOVIVS multum abit, pro *Woyciech* legens *Vincentius*; addit tamen *idem in vita S. Adalb. f.* 600. §. 3. *not. f. Codicem S. Cæciliæ habere Vventium.*

ddd) Quem BZOVIVS modo STERICVM *f.* 600. §. 6. modo ASTERICVM *f.* 601. §. 9. male nominat. Ab aliis enim OTRICVS dicitur. Erat prius Scholasticus in Monasterio Magdeburgensi, quo titulo ii, quibus juvenum inspectio demandata erat, insigniebantur.

tamen monitis & doctrina non diu gavisus est, Imperatore OTTONE II. suam ad aulam hunc Scholasticum vocante. Scholasticis tandem eee) studiis absolutis, patrios repetit penates, atque DITMARI fff) pri-

conf. TRITHEMIVS *in Chron. Monast. Hirsaug. P. II. Opp. f.* 29. *ad A.* 943. Latius hujus muneris limites extendit BZOVIVS *in Sylvestro II. d. l. fol.* 572. ubi ita loqvitur: *Quos Scholasticos antiquitus vocabant, ii non tantum Scholis Didascali præsidebant, verum etiam a scriniis, seu a secretis & literis Principum habebantur, & Cancellarii vel Protbonotarii dicebantur, eratque nomen dignitatis & officii Ecclesiastici, ut* GENEBRARDVS *observat.* Redeamus ad *Otricum.* Hunc facundia, forsitan etiam divortium morum, Archi-Episcopum inter & Scholasticum, discordiæ metuenda causa, OTTONIS II. servitio addixit, cujus Capellanus factus; quod *Suriana vita f.* 827. ita notat: *Capella gregis Magistrum tulit.* Mortuo *Adalberto,* Viri hujus eximii svavis recordatio unanimem Cleri populique elicuit electionem OTRICI in Successorem Archi-Episcopi. Obstitit huic rite electo GISILERI fraudulenta ambitio, ne prodesset unanimitas eligentium. Nec multum profuisset, illo licet æmulo non oborto. Anno etenim eodem 983. Beneventi, abitum ex Monasterio lugens, decessit; quæ prolixius leguntur in DITMARO *Lib. III. p.* 52.- 55. TRITHEMIVS paululum abit ab illa narratione, induens personam blandiloquentuli. Nam in *Chron. Hirs. f.* 37. refert: *Invitum Electioni de se facta* OTRICVM *consensisse, orasseque Deum, ut eum fieri Episcopum non permitteret, quod & impetravit. Nam in itinere pro confirmatione ad Curiam Romanam non sine opinione Sanctitatis decessit.*

eee) *Postquam ter ternos in arena Studii palæstram exercuit ingenii,* observante AVTORE *Vitæ Surianæ f.* 827.

fff) DITMARVS hic, qui & *Theodomarus*, natione Saxo, notitiæ lingvæ Slavonicæ, & favori BOLESLAI PII splendorem muneris debuit. Negligen-

primi ggg) Episcopi hhh) Pragensis auspiciis Sub-Diaconatum iii) adipiscitur.

§. XIV.

ter tamen illo eum functum esse, querela in agone constituti plurimis notata testatur. Diem supremum obiit non A. 969., uti plerumque statuunt, verum A. 983 cujus probationem v. *not. mmm.*

ggg) Bohemia Christiana sub Episcopo olim erat Ratisbonensi. Nondum autem religio animos hominum adeo occupaverat, ut passim & sæpius Ethnicismi non erumperent germina. Ad clavum enim Principatus sedentes, seducti & seducentes pravo erant Exemplo. Tandem OTTO II. *Imp.* precibus aliorum motus, *Episcopum* WOLFGANGUM per Legatos solicitavit, ut sibi liceret curare Episcopi in Bohemia institutionem. Assensus est precibus Majestate fultis lubens, præsertim cum in compensationem prædia ipsi offerrentur, atque tanta promtitudine rem aggressus, ut privilegium ipse composuerit. v. *Vita* S. WOLFGANGI *Episc. Ratisb. c.* 29. *in* SURII *Tom. V. p.* 1001., & AVENTINUS *Lib. V. Annal. Boi. f.* 396. COSMAS PRAGENSIS *ad A.* 967., & ex hoc reliqui, partibus Pontificis M. addicti, huic erectionem istius Episcopatus præ Imperatore tribuere malunt, prave omnia confundentes. Nondum enim Imperatores Jure investituræ exciderant, conf. *not. ppp.*; nec Bohemia sui jam juris erat. DUBRAVIUS equidem BOLESLAO SAEVO deliberationem de Episcopo in Bohemia constituendo adscribit *Lib. V. fol.* 43. Hanc autem narrationem evidentissime falsis, de STEPHANI ad illud tempus rejecto Pontificatu, circumstantiis merito suspectam reddit. Quod etiam reprehendum in DLUGOSSO, fundationem svasionibus DĄBROWCAE Ducis Poloniæ consortis tribuenti, eamque sub AGAPETO II. *Pont.* A. 974. factam *Lib. II. col.* 102. scribenti, cum AGAPETUS notante SCOTO A. 944. per 10. An. & aliquot menses, HERMANNO CONTRACTO vero A. 945. per A. 9. & menses 7. Sedi Papali præesse cœperit. Ne tamen in totum rejiciamus Pontificis JOANNIS curam, obstat præter Inscriptionem 1555.

§. XIV.

Hujus ſpartæ licet inculpatam non geſſerit curam,

in templo S. Viti Pragæ ex juſſu Imp. FERDINANDI I. collocatam, teſte BOLELVCZKI *c.* 14. §. 22. *p.* 516. 17., Diploma a COSMA PRAGENSI prolatum. Admittimus igitur, verum eatenus tantummodo, ut ad ſegregationem templi, non autem ad datam BOLESLAO poteſtatem de eligendo Pontifice extendatur. Ille etenim JOANNES amicus Cæſaris juribus Imperatoris contrarius fuiſſe præſumi vix poterit.

hhh) Per quatuor Secula Metropolitanum agnoſcebat Moguntinum Archi-Epiſcopum. Aſt Seculo XIV. CAROLVS IV. hoc illum nexu liberavit. DVBRAVIVS *L. XXII. f.* 206. ſcribit, quod CAROLVS IV. *Imp.* ERNESTVM *Epiſcopum Pragenſem in contumeliam Metropolitæ Moguntini, qui Carolo adverſas partes foverat, Archi-Epiſcopum a* CLEMENTE (VI.) *Romano Pontifice creari procuraverit.* add. PONTANVM *Lib. III. Bohem. piæ f.* 44. & LANGIVM *in Chron. Citiz. fol.* 838. it. *ad. A.* 1362. *fol.* 840. BOLELVCZKI tamen *c.* 14. §. 13. *p.* 474. inſcriptionem adducit, ex qua patet, nondum Imperii aſcendiſſe culmen CAROLVM IV. Verba inſcriptionis ſequentia ad ſcopum inſerviunt: *A. D.* 1344. *d.* 3. *Men. Mart. ſublimata eſt Sancta Pragenſis Eccleſia in Metropolitanam per Dominum* CLEMENTEM *Papam. Etiam eodem Anno & Die poſitus eſt primus lapis fundamenti novi chori Pragenſis, per Sereniſſimum Principem Dominum* JOHANNEM, *Regem Bohemiæ, Comitem Lucenburgenſem, ac Sereniſſimos Principes, Dn.* CAROLVM *tunc Marchionem Moraviæ, poſt Imperatorem promotum*, JOHANNEM *Dominum Carinthiæ &c.* Quod etiam reliqui Hiſtorici confirmant. Annus tantum exemtionis non omnibus idem placet. Magnif. Dn. MASCOVIVS *Diſp. de Primatibus, Metropolitanis &c* §. 89. Annum eligit 1343. GOLDASTVMque, cui A. 1346. magis arridet, rejicit. Aliis alia lubent. Si tamen non omnis fides ſupra citatis inſcriptionis verbis detrahitur, Annus 1344. litem decidere poterit. Idem

curam, kkk) adolescentiæ tamen fervor nævis illis veniam illiciet, præsertim cum emendatio vitæ lll) eos postea sepelierit. Causam correctionis mors mmm) Epi-

Doctiss. Dn. MASCOVIUS altius primordia petit, causamque mutationis clarius explicat: HENRICUS, ait, *Archi-Episcopus Moguntinus, quoniam Imperatoris* LUDOVICI BAVARI *partes acriter tuebatur, invisus erat Papæ. Itaque* BENEDICTUS XII. *Papa solvebat A.* 1341. *Episcopum Pragensem ab omni erga Moguntinum, quem Schismaticum traducebat, obsequio. Paulo post idem Pontifex* ERNESTO, *Pragensium Antistiti, facultatem concedebat,* CAROLO, *Marchioni tum Moraviæ Regalem unctionem impertiendi.* Addit de proxime sequentibus temporibus: *Papa* (CLEMENS VI.) *jus peragendæ unctionis Regalis, quod Moguntini fuerat, A.* 1345. *in novum Archi-Episcopum transtulit. Quod* CAROLUS IV. *electus jam Romanorum Rex A.* 1347. *denuo sancivit.*

iii) AUTOR *Vitæ Canisianæ c.* 8. his generalibus utitur verbis: *Sub Sacræ civitatis Pragæ Episcopo arma Christianæ militiæ militaturus assumsit.* COSMAS autem PRAGENSIS *Subdiaconi* munus exprimit. BOLELUCZKI *c.* 6. §. 2. *p.* 119. paululum abit, ex HAGECIO, PAPROCIO & PONTANO referens apud ADALBERTUM *Magdeburgensem* fuisse ordinatum Sub-Diaconum, & Diaconum factum sub DITMARO. Injustum tamen foret, postponere COSMAM recentioribus istis Autoribus. Ignoramus etiam, quomodo TRITHEMIUS, nominans eum *in Chron. Monast. Hirsaug. f.* 37. *monachum cœnobii Fuldensis*, veniam mereatur.

kkk) In *Vita Canisiana c.* 8. lepide hoc ita exprimitur: *His diebus deliciosus miles erat.* Apud AUTOREM *Vitæ Surianæ fol.* 827. *lasciviisse* dicitur. BOLELUCZKI autem Sanctum excusat. *c.* 6.

lll) Multa *dd. ll.* bona opera in medium adducuntur, quæ scire volenti correctionem probabunt.

mmm) COSMAS in A. 969. IV. Non. Januarii eam mortem

Episcopi *Ditmari* suppeditabat, qui ultimum spiritum trahens conniventiam, respectu Bohemorum, splendidumque vitæ genus, semet cognoscens, detestabatur, nnn) & ADALBERTVM præsentem convertebat.

incidisse persvadere aliis conatur. Verum frustra. Cum enim ipse concedat, sedem illam non diu post obitum DITMARI vacasse, verum statim electum fuisse ADALBERTVM, iste annus lethalis admitti non poterit. Subnexæ rationes aliis, uti speramus, justitiam contradictionis comprobabunt, Lectorisque assensum lucrabuntur. Nam inanis ita foret querela DITMARI de munere perfunctorie tractato, cum brevissimum spatium ipsi assignatum cum pœnitentia tam anxia, atque desperationi proxima pravissime & contra omnem probabilitatis speciem conjungatur. Nullatenus quoque tot insignes variationes, quæ post mortem BOLESLAI SAEVI (hic secundum historicos A. 967 diem supremum obiit,) cumularentur, intra annum & dimidium sine suspicione falsi obtigisse, statui secure potest. Interea enim BOLESLAVS PIVS Principatum adit; Soror ejus MLADA, *Maria* postea dicta, Romam proficiscitur, & confirmationem propositæ fundationis a Pontifice adipiscitur; Episcopatus instituitur; DITMARVS eligitur; ab Archi-Episcopo Moguntino post Regalia ab Imperatore impetrata inungitur, ad diœcesin redit, & tandem commune omnibus mortalibus fatum subit. Licet igitur annnm instituti Episcopatus & electi *Ditmari* non mutemus, mors tamen ejusdem ad aliud tempus ut rejiciatur, circumstantiæ jubent. Si vero nondum necessitatem mutationis allegatæ inculcarunt rationes, magis forsitan convinceris, ubi consulueris *not. qqq.*, in qua primitiæ Episcopatus Adalbertini ad annum 983. remittuntur, & tunc annum 969. COSMAE notatum sponte rejicies.

nnn) Orationem ejus omnes eodem certe sensu referunt, licet alias quilibet pro lubitu substituerit voces. Contenta breviter adduximus, prolixitatem evitaturi.

Dignus itaque conversus ADALBERTVS a *Boleslao Duce Bohemiæ*, dignus etiam a populo Successor judicatur *Ditmaro*, & A. 983. secundus Episcopus Pragensis eligitur. ooo)

§. XV.

Electus confirmatur ab *Imperatore* ppp) OTTONE

ooo) Hæc *Electio XI. Cal. Martii* præsente BOLESLAO PIO *in oppido Levigradec peracta*, indicante COSMA PRAGENSI *ad A.* 969. Diem hunc, Anno licet refutato, cur spernamus, nulla existit ratio.

ppp) Jus illud investiendorum Episcoporum apud Imperatores intemeratum remansit ad tempora usque HENRICI IV. Tunc etenim domesticæ HENRICVM inter & *Saxones* lites, Pontificibus regale istud Imperatorum manibus excutiendi ansam dederunt. Iniquus tamen eorundem conatus sub Filio HENRICO V. metam prius attigit. v. MEIBOMIVS *de Jure investiture Episcopalis Impp. a Pontificibus per vim ademto. Tom. III. rer. germ. f.* 169 — 181. Nihilo minus jam A. 1078. tantum sibi indulserant, quod ausi fuerint promulgare in Synodo Romana, Mense Novembri habita, de investituris Canonem sequentem: *Quoniam investituras Ecclesiarum contra Statuta SS. Patrum a laicis personis in multis partibus cognovimus fieri, & ex eo plurimas perturbationes in Ecclesia oriri, ex quibus Christiana religio conculcatur: decernimus, ut nullus Clericorum investituram Episcopatus, vel Abbatiæ, vel Ecclesiæ de manu Imperatoris, vel Regis, vel alicujus laicæ personæ, viri vel fæminæ, suscipiat; quod si præsumserit, recognoscat, investituram illam Apostolica autoritate irritam esse, & se usque ad condignam satisfactionem excommunicationi subjacere* Reperimus eundem in BARONIO *ad. A.* 1078. *no.* 26. Confirmatio in alia Synodo Romana subsecuta est, teste iterum isto Purpurato *ad A.* 1080. *no.* 3. 4. Non abs re erit, addere ex antiquo monumento causam Anathematis Pontificii, quo Impera-

TONE II. qqq) dato annulo & virga pastorali, atque
E 2 inun-

tores tum temporis ligabantur. Conservavit illud nobis *Pithoeus in Fragm. hist. Franc.* inter *Annales in fol. editos fol.* 88. *Exigebat*, AVTOR *Anonymus* loquitur, *idem Papa* (GREGORIVS) *ab eo* (HENRICO IV.) *dimitti dominationem omnium sui imperii Ecclesiarum, ne cui baculum pastoralem donaret, juxta quod in antiquorum statutis continetur Patrum. Quod ille facere renuit, hæc fuit justior causa istius anathematis.*

qqq) Successio trium OTTONVM, quorum memoriam hic servabat versiculus: *Otto, post Otto, regnavit tertius Otto*; historiam Seculi X. adeo implicavit, ut multa OTTONI I., sive M. adscriberentur; quæ tamen Filium ejusdem OTTONEM II. sine dubio concernebant. Nominis æqualitati id accedebat, quod OTTO II. vivente & imperante adhuc Patre coronaretur. Eadem confusio tempora Successoris, alias OTTONIS RVFI dicti, invasit. Solæ hinc circumstantiæ adjectæ in tali caligine lumen veritatis detegunt. Quibus nos etiam omne, quidquid circa enodationem Anni, quo ADALBERTVS in Episcopum electus fuit, præstare licuit, debere fatemur. Nullatenus sane A. 969., quem COSMAS PRAGENSIS, & ex hoc præter alios etiam HARTKNOCHIVS *in H. E. c. l.* §. 8. designant, admitti posse, jam alii suspicati sunt. Hinc AVTOR *Brunonis Apostoli c.* 4. §. 3. & Clar. Dn. SEYLERVS *in Pruss. Illustr. T. II. p.* 82. Annum 979. elegerunt. Verum nec istud tempus omnem movere lapidem, rejiciendum potius & aliud substituendum esse, sequentia dabunt. In *Vita Canisiana c.* 10. hæc proferuntur: *Rediens interea de Saracenico bello adiit Veronam* — OTTO II. — *Ad hunc ergo Slavonica manus perrexit, ferens Legationem de parte Ducis, & obtulit electum Episcopum. — Imperator — adquiescens, dat ei pastoralem virgam &c.* Eadem confirmantur in SVRIO *f.* 828. *Electus Episcopus Italiam petit, quem — Verona suscepit. — Ibi eum pastorali virga investivit* OTTO II. Bellum illud, clade Imperatoriarum copiarum notatum, computante HERMANNO CONTRA-

inungitur a WILLIGISO rrr) *Archi-Episcopo Mogun-*

CTO in CANISII *Tom. I. L. A. p.*574., refertur ad A. 982. MARIANVS autem SCOTVS, probabilitati propior, Annum habet 983. Isto enim anno Imperatorem Veronæ placitum habuisse observat DITMARVS *Lib. III. p.* 61. qui numerus ibi pro DCCCCLXXVIII. substituendus, cum hic sine dubio incuria typothetæ irrepsit. Si ergo *reditum* illum OTTONIS II. *de Saracenico bello* admittimus, non Annus 969. nec 979., sed 983. verus Electionis, confirmationis & consecrationis Annus erit. Unde etiam nec BARONIO assentiri licebit, qui ad A. 980. investituram remittit, *d. A. no.* 1. &, ut eo verisimiliorem suam aliis reddat opinionem, addit, eo tempore Imperatorem in Italiam venisse, & Veronæ fuisse. Nondum enim clades illa obtigerat A. 980, post quam confirmatio ab Autore vitæ Canisianæ ponitur. Cui, velut Autori coævo, major quam *Baronio* fides jure concedenda erit. DLVGOSSVS licet propior justo termino evadat, Annum 981. habens *d. l. col.* 105., tamen veritati proximus adhuc errat. BOLELVCZKI in his, uti in reliquis, communi fascinatus errore, *c.* 6. §. 6. *p.* 127. ad OTTONEM I. opus investituræ refert. Cautius, ast non satis candide in hac materia versatus est HELWICHIVS *Disp.* 1. §. 4.; meminit enim tantummodo *Serenissimi Imperatoris*, determinatam autem ejus denominationem negligit. Superest, ut Patronos requisiti ad Episcopatum necessarii, legitimæ scilicet 30. annorum ætatis, in nostras trahamus partes, & hoc facillime, collata *not. oo.* cum dictis in hacce animadversione, optatum sortietur eventum.

rrr) WILLIGISVS obscuro licet genere, & patre, a rotis confectis noto, oriundus, eruditione nihilo minus, atque favore Magnatum adeo emersit, ut Archi-Episcopatum nancisceretur Moguntinum, cui ad A. usq; 1011. laudabiliter præfuit. Ad hunc ADALBERTVS, nam iis diebus Pragensis Episcopus Suffraganeus erat Moguntini, ab OTTONE II. consecrandus dirigitur, & solemnia illa die SS. Petri & Pauli (29. Junii) peraguntur.

guntino. Rediens post confirmationis & unctionis solemnia in patriam, memor suspiriorum DITMARI Episcopatum solers regit, & boni pastoris vices impleturus, oves curæ cordique habet. Quæ pia ejus vigilantia a MLADA, BOLESLAO *Duci Bohemiæ* & Fratri, ita commendatur, ut fructum commendationis cumulus sss) donorum in Episcopum, ejusque Diœcesin effusus testaretur.

§. XVI.

Magis igitur hac munificentia accensus ADALBERTVS, summa alacritate corruptos Bohemorum mores emendare laborat. Ast horum degenerum filiorum induratum cor admonitioni atque solicitæ Episcopi Patrisque sui curæ nullatenus respondebat. Sibi enim vivebant, monitis ejus paternis præfracta mente contrarii. ttt) Tædio hujus inobedientiæ victus ADALBERTVS, quos præsens convertere nequibat, absentia uuu) corrigere satagit. Fines ergo Bohemiæ trans-

 gredi

sss) COSMAS & DVBRAVIVS BOLESLAI prædicant liberalitatem.

ttt) Ut enormitas peccatorum abitum ADALBERTI eo fortius excusaret, tres eorundem ab Autoribus adducuntur species. Inter Bohemos etenim *Polygamiam*, *detestanda conjugia Clericorum*, & *venditionem mancipiorum atque captivorum Christianorum per Christianos Judæis factam* inolevisse conqueruntur. v. *Vita Canisiana c.* 14. & *Suriana f.* 830. DLVGOSSVS *d. l. col.* 110. haud inepte existimat, ADALBERTVM *virorum timoratorum usum consilio, Sedem Episcopalem deserere, & habitum monachicum assumere in animum induxisse.*

uuu) Fabulam sapiunt, quæ PONTANVS *Lib. I. Bohem. Piæ*

gredi statuit, atque ut abitus ejus aliis justior videretur, iter sanctum vvv) sive in Palæstinam instituendum affectat. Tandem proposito illi satisfacturus A. 984. xxx) Romam petit, Roma vero ad montem usque Cassinum

f. 8. & *L. III. f.* 36. de nimia siccitate, quam HELWICH *Disp.* 1. §. 7. sexennalem vult, nugatur, quod absentiam ejus, velut vindictæ divinæ luculentum signum, confestim comitata fuerit. Tantum tamen sibi adrogat, ut reditus occasionem hanc siccitatem supponat.

vvv) Nondum iis temporibus Sanctæ Peregrinationes tanto desiderio, atque zelo instituebantur, uti in sequentibus factum, hinc rarissima quidem earum, non tamen prorsus nulla occurrunt Exempla.

xxx) Voluntarium hoc exilium ADALBERTUS A. 984. elegit, ne pervicacia plebis sibi concreditæ saluti animæ suæ officeret. BARONIO magis arridet A. 983., ast sine ratione sufficienti. Obstat enim; quod THEOPHANIA eo tempore, quo ADALBERTUS Romam venit, *jam longos dies flevisse, & sepulti conjugis memoriam reparare*, in *Vita Suriana* dicatur. OTTO autem II., ejus conjux, VII. Id. Decemb. A. 983. e vivis excesserat secundum DITMARUM *L. III. p.* 61. Hinc ad Festum Nativitatis Christi, a quo Annus tunc inchoabatur, 18. tantum supererant dies, qui *longum tempus* historico efficere non solent. Huic accedit, quod constituto in *not. qqq)* alio Electionis Adalbertinæ anno, spatium temporis amori in odium verso tam breve assignari nequeat. Ipse etiam BARONIUS propriis verbis nobiscum consentit, sibimet contrarius. Ait enim *ad A.* 983. no. 23. *Cum totum quinquennium in Monasterio* ADALBERTUM *degisse affirmetur, plane constare, non ante A.* 989. *ab urbe* (Roma) *discessisse.* Melius hic cum quinquennio dicto Annus 984. quam 983. poterit conciliari. Alia via, non tamen recta, incedit BOLELUCZKI, *c.* 9. §. 4. *p.* 215. Annum 974., quem quintum Episcopatus dicit annum, huic assignans abitui. Sic error

ſinum yyy) pergit; ubi, ut itineri ſancto renunciaret, graviter zzz) nec perperam admonetur.

§. XVII.

In Monaſterio etenim Caſſinenſi paululum commoratur. Aſt ſtrepitum honorum fugiens, hic quoque cauſam novi ſeceſſus reperit, aaaa) Caſſino relicto igi-

errorem producit. Revertamur ad ADALBERTUM. *Vita Caniſ.* c. 15. teſtatur, propoſitum ejus de linquendo Epiſcopatu a Pontifice Max. fuiſſe approbatum. Quod merito in ſuſpenſo relinquimus. Addunt etiam Scriptores, THEOPHANIAM percepto rumore de itinere ADALBERTI, ad Sepulchrum DOMINI ſuſcipiendo, multum argenti ipſi donaſſe, atque ejus ſe cum Imperatore defuncto commend ſſe orationibus. BOLELUCZKI hic *c.* 12. §. 1. *p.* 325. ad *ſecundum* ADALBERTI *iter* confugit, ut iſtas innectat circumſtantias.

yyy) *Abbas Caſſinenſis* tum temporis ALIGERNUS fuit, quem A. 986. mortuum, atque MANSONEM Succeſſorem habuiſſe, memorat BARONIUS *ad A.* 986. *no.* 3.

zzz) *Ejus viam longe a recta abeſſe, quæ ad vitam ducit ſempiternam, nec laudabilem dici poſſe quotidianam locorum mutationem*, ab Abbate aliisque ADALBERTO inculcatum fuiſſe, ut propoſitum Viri Sancti inflecterent, notavit *Vita Caniſiana c.* 17. & LEO OSTIENSIS *L. II. Chr. Caſſin. c.* 17.

aaaa) Tædebat eundem muneris, onerisque Epiſcopalis, & otium ac quietem ſitiebat. Citiſſime tamen agnoſcebat, hæc animi ſolatia alibi quærenda eſſe, cum Epiſcopi ipſi munia de novo obeunda proponerentur. *Eccleſias ſiquidem novo opere conſtructus ſacrare eum poſſe, monachi lætabantur*, obſervante *Autore Vitæ Caniſ. c.* 18. & LEONE OSTIENSI *d. l.* Scopus ejus ita invertebatur; cum in obſcuro, & extra hominum ſtrepitum vivere intenderet. Ideo enim *ſub Patre* NILO *poſtea parvulus factus jugum*

igitur, aliud Monasterium, *Vallis Lucis* nomine clarum, cui Abbas præerat NILVS, bbbb) petit. Hic, ut ab eo susciperetur, rogat; repulsam autem ob graviores cccc) circumstantias fert. Et ita Roma sola clari hujus Exulis Pathmo a fato destinata erat, quod continuata ostendet narratio. NILVS, ne ADALBERTVM animo dejiceret, ut Romam rediret, ipsi svadebat, literasque commendatitias, LEONI *Abbati Monasterii S. Alexii* dddd) insinuandas, offerebat. Con-

CHRISTI *ferre, & obedientiæ aureas literas parare satagebat*, loquente BARONIO *ad A.* 983. *no.* 21.

bbbb) *Fuit* NILVS *iste ab origine græca, Rossani in Calabria civitate natus, doctrina atque pietate insignis, ab infantia* DEI *cultor eximius, & post matrimonium vitam monasticam sectatus, brevi omnes ejus instituti professores antecelluit.* Quæ verba hausimus ex BARONIO *ad. A.* 976. *no.* 2. *prævidens, venturos in Calabriam Saracenos, in Campaniam veniens atque Cassinum, a Cassinatibus honorifice exceptus ab eisdem incolendum accepit A.* 980. *Monasterium*, VALLEM LVCIS *nominatum. Id. ad h. A. no.* 5. *ubi cum stetisset Annos* 15., *recessit inde. Id. ad A.* 995. *no.* 13. Nonaginta eum ætatis annos supergressum patet ex *Eod. ad A.* 996. *no.* 16. Ne etiam mutationes NILI miremur, observamus ex *Eod. ad A.* 1000. *no.* 11. *ita S. Nilum se suosque ad monasticam vitam composuisse, ut nusquam firmas fixerit sedes.*

cccc) Sermo NILI Abbatis causam denegatæ susceptionis ADALBERTO revelat. *Recepissem te*, inquit, — *nisi hæc susceptio mihi meisque nocitura.* — *Non indigena, sed homo græcus sum, terra autem — illorum, quos tu bene fugis, propria. Sed si una nobiscum cohabitaveris, tollunt illi, quæ sua sunt, ego cum charis filiis expellor totus. Vita Canis. c.* 19.

dddd) *In Aventino monte* fuit *Monasterium S.* DEI *Genitricis Mariæ, quod alio nomine S. Bonifa-*

Consilio isti obediens Romam revertitur, ibidemque a LEONE cœtui monachorum eeee) cum fratre jungitur GAVDENTIO.

F §. XVIII.

cii sive S. Alexii dici consvevit, narrante BARONIO *Tom. XI. ad A.* 1014. *no.* 16. *Id. Tom. X. ad A.* 996. *no.* 11, jam recensuerat: *ex Abbatia conversam fuisse in titulum Cardinalium.*

eeee) COSMAS PRAGENSIS hic errat scribens: *A. Dom. Incarn.* 990. S. ADALBERTVS *Romæ ad S. Alexium, inscio Abbate, quis esset, factus est Monachus.* Anno etenim 990., quo in monasterium reversus est Martyr noster, non illum factum esse monachum, sed monachi iterum regulas subiisse dicere possumus. Prior actus ad annum spectat 984. *v. not. xxx.* Imo licet verba excusare velimus, quibus factum esse monachum innuit, tamen admitti nequeunt ea, ubi *inscio Abbate, quis esset*, id evenisse vult. Nam si annum 990. cum Cosma ponis, secundum ADALBERTI in Monasterium introitum statuas oportet. Hunc vero antecessit relictio Monasterii, abitus ad Episcopatum, & iterata ejus desertio. Quæ omnia inscitiam non probant, sed respuunt. Accedit locus ex *vita Canis. c.* 20. inferens, autoritate Pontificis Max. istam monachatus assumtionem factam: *Accepit*, dicit, *habitum monachalem, Apostolico prius cum Cardinalibus ea de re consulto, die, qua Exemplum humilitatis* DOMINVS *Apostolorum pedes lavans dedit.* Quæ verba diem quoque actionis connotant. Sed pauca adhuc ratione anni subjungamus. HELWICHIVS *Disp.* 1. §. 6. juste judicat, extra controversiam esse, Adalbertum eodem, quo Bohemos deseruit anno, habitum induisse. Hunc tamen annum male §. 5. 983. statuerat: Ex *nota xxx*, enim videre est, annum 984. saltem verum deserti Episcopatus constituere tempus. Et ut dicta magis adhuc fulciamus, illam insuper addimus probabilitatem: Adalbertum Ottoni II. adeo gratum, hoc vivente tantis difficultatibus respectu receptionis in Monasterium obnoxium fuisse, secure statui non poterit,

§. XVIII.

Quinquennio ffff) ibi exacto, ob interpellationem Archi-Episcopi Moguntini, precesque nonnullorum resipiscentium Bohemorum gggg) Synodus hhhh)

cum, quid summæ autoritatis amicus valeat, omnes sciant.

ffff) Terminum istum habet *vita Suriana f.* 832.

gggg) Legatos expedierant, PAPPATEM & CHRISTIANVM. Hi, adito prius *Moguntino Pontifice* WILLIGISO, ejus literis muniti Romam proficiscebantur, atque Romani Pontificis in isto negotio excitabant authoritatem. Ipsa verba ex *vita Suriana* adducta magis rem explicabunt: *Postea populus terræ Episcopum suum revocat. Sancti viri* PAPPATEM, *radium sapientem, &, qui fratre charior Domino terræ fuit*, CHRISTIANVM *Monachum, Virum eloquentem in hoc opus eligunt. Hi duo cum literis Metropolitani Romam veniunt, ac de reditu Pastoris Papam appellant.* In *Vita Canis.* talia occurrunt, quæ probare possunt, STRACHYQVATEM fratrem Ducis BOLESLAI Nuntiis illis subsidio fuisse: ibi enim *c.* 25. hæc leguntur: *Nunciorum Primatem vix obtinuisse victoriam. Hic ipse Primas frater erat Ducis, cujus terræ, qui exigebatur, Episcopus præfuit.* De iis apud BARONIVM, *ad A.* 989. altum silentium: Subjicit autem alia, quorum nulla prorsus in hac vita fit mentio; nihilominus in eadem illa proponi adserit, nimirum: duos Episcopos *missos ab Archi-Episcopo Moguntino Romam ad repetendum S.* ADALBERTVM, *d. l. no.* 2. BOLELVCZKI ubivis emendationem obtrudens, duplicem ponit Legationem, & ex HAGECIO Scriptore recentiori ad primam revocationem sex Viros; e Clero duos, ex Laicis quatuor adhibitos fuisse fingit, *c.* 9. §. 14 *p.* 232. Hanc vero Legatorum missionem post secundum ADALBERTI abitum satis confuse rejicit. CHRISTIANVM ibi Legatum solum fuisse vult, cumque fratrem Ducis nominat. *c.* 12. §. 3. *p.* 331. 333. STRACHYQVATEM, de quo superius, eo tempore

hhhh) Romæ congregatur. Hæc, ut ADALBERTVS gregem repeteret, decernit, iiii) eundem quoque redire in patriam jubet. Obsequitur, sed invitus, kkkk) otii jam monastici illecebris magis irretitus. Revertitur itaque ad Episcopatum, mente tamen præsaga futuri. Inutiles labores suos futuros metuit; llll) nec

sine

Romæ fuisse, atque Legatorum curam habuisse, non contra omnem probabilitatis speciem adferitur. Nec minus probabile fuerit, BOLESLAVM *Pium* Fratris opera ad ADALBERTVM in patriam retrahendum, usum esse. Interea, quæ de Martyre ab aliis narrantur, *quod ante desertionem Episcopatus eum Strachyqvati obtulerit*, sedulo a nobis omissa quilibet exinde colliget, quoniam STRACHYQVAS oneris Episcopalis difficultatem probe cognoscens, & hunc honorem ideo declinans, vix ADALBERTI otium bono animo interrupisse videri poterat.

hhhh) Moderante Pontifice Max. *Joanne*, qui XVItus numeratur, hæc Synodus habita. Preces Legatorum Bohemicorum exoptatum ibi equidem sortiebantur eventum, ast non sine præviis difficultatibus. Testatur id *Autor Vitæ Canisianæ c.* 25. *Facta est Romæ Synodus pro hac causa, oritur utrinque litigium grande, ex una parte eorum, qui monachum perdere timuerunt, ex alia parte eorum, qui pastorem suum cum autoritate quæsierunt &c.*

iiii) Decretum Synodi exhibet *Vita Canis. d. l.*

kkkk) Lacrymis enim effusis monasterium reliquit. Hinc BARONIVS *ad A.* 989. *no.* 3. ex *Vita Canisiana* loquitur: *Amborum, Papæ & Abbatis (quibus tamen ejus abitus ingratus erat) imperio, fracto suo libitu flens Episcopus ad Episcopatum redit.*

llll) Quapropter etiam ADALBERTO libertas relinquitur, Bohemorum vitare steriles agros, si spes resipiscendi evanuerit. Ultima verba Decreti Synodalis apud CANISIVM *d. l.* id inferunt: *Dabimus eum hac lege. Si audierint, eum teneant*

fine ratione, cum mobile vulgus ingenium brevi temporis ſpatio, non vanum fuiſſe timorem oſtenderet.

§. XIX.

Canum etenim inſtar redeunt ad vomitum inveterati peccatores. Obliti, qua anxietate Epiſcopum Roma repetierant, animum ſui Paſtoris contumaciter fatigant. Præter alia mmmm) inſolentiæ ſpecimina, mulierem de adulterio nnnn) accuſatam, quam ADALBERTVS ad ſe, velut tutiſſimum aſylum, fugientem, ut interea cauſam penitius cognoſcendi occaſio ſupereſſet, Monaſterio oooo) Sanctimonialium incluſerat.

cum DEI *benedictione, faciantque ſub ipſo fructum centuplum. Si autem a conſveta ſua iniquitate recedere nolunt, hic noſter abſque periculo ſui capitis malorum conſortia declinet.* conf. etiam DVBRAVIVM *L. VI. hiſt. boh. f.* 47. Qui tamen Autor Lectorem poſcit minime credulum, cum non in omnibus approbationem mereatur.

mmmm) In ipſo adventu ADALBERTVM *dormientem a paſtore improbo contumelia affectum, Nundinas etiam contra ejus mandatum die dominica celebratas*, Autores notarunt.

nnnn) *Mulier cujusdam nobilis* cum Clerico *adulteraſſe publice arguitur.* Sic *Vita Caniſ.* facti deſcribit circumſtantias *c.* 27. BOLELVCZKI autem *c.* 11. §. 8. *p.* 292., tantum generaliter, eam adulteraſſe, notavit. Sic aliquando parcus, ſæpius vero in verbis, ubi ſpecie probabilitatis fallitur, etiam largus reperitur.

oooo) *S. Georgio* illud ſacrum erat. *Suriana vita* locum magis adhuc determinat, *Oratorium* nominans. Ipſum monaſterium fundationem debebat MILADAE, *Mariæ* poſtea nuncupatæ, Filiæ BOLESLAI *Sævi, Ducis Bohemiæ*, quæ prima etiam munus Abbatiſſæ præmium fundationis ferebat. v. COSMAS *ad*

ſerat, ſumma violentia quærunt. Forum ideo Epiſcopale irrumpunt, atque miſeram illam a cuſtode mortem metuenti proditam, capite plectunt. Hujusmodi contumelia pppp) ſvavem monaſticæ quietis revocat memoriam. Cum itaque Decretum Synodale, his intervenientibus circumſtantiis, abitum excuſare videretur, non diù qqqq) hæret. Bohemiam ſecunda vice linquens, Romam rrrr) ad Abbatem

 S.

A. 968. AENEAS SYLVIUS *L. I. hiſt. bohem.* ap. FREHERUM *inter Scriptores rer. bohem.*

pppp) Præſertim, cum illud accederet, quod ADALBERTO, vitam perſonamque ſuam furioſæ plebi offerenti mordacia verba, & minæ atroces reponerentur. Sic *Autor Vitæ Caniſ. c.* 28. aliquem loquentem introducit: *Caſſa ſpes martyrii te tenet, non implebitur tua voluntas, ſed agitur aliquid, quod plus dolet. Quia, niſi hac meretrix nobis citius reddatur, habemus fratres tuos, in quorum uxoribus, prole & prædiis hoc malum ulciſcamur.*

qqqq) Ante abitum, vel poſt eundem num Bohemos anathemate percuſſerit, licet non determinemus; credimus tamen ipſum actum eveniſſe, cum ſubſequens fratrum cædes veritatem adſerti quodammodo fulciat. DUBRAVIUS *l. c. f.* 45. opinatur, ADALBERTUM *Romæ a Pontifice obtinuiſſe, ut Bohemos jugum* CHRISTI *palam excutientes diris devoveret.* BOLELUCZKI in aliis tempora primi atque ſecundi verſus Romam abitus confundens, nec in hoc fidem inveniet, quod *c.* 9. §. 4. *p.* 215. poſt primum ex Bohemia abitum anathematis illud fulgur interſerat. conf. *Id. c.* 11. §. 9. *p.* 297.

rrrr) Antequam huc comitemur ADALBERTUM, opus erit, ut explicemus, quid de converſione Hungarica, Martyri noſtro adſcripta, ſentiendum ſit. Ne tamen Lector miretur, nos textui nihil ea de re intuliſſe, brevibus in anteceſſum monemus, quod, licet perſvaſi ſimus, famam ejus ad Hungaros pervenire potuiſſe, ſequentia nihilo

S. Bonifacii abit, pristinumque vitæ genus eligit. §. XX.

minus dubia ipsam ADALBERTI in Hungaria præsentiam in totum tollant. Tantis certe Hungaricum ejus iter falsitatum obfuscatum est tenebris, ut non nisi veræ indagationis lumine ad clariora ducamur. Antiquissimus Patronorum Conversionis Hungaricæ est *Autor Vitæ Surianæ*, qui *fol.* 832. sequentia narrat: *Non tacendum, quod juxta positus Hungaris nunc nuncios suos misit, nunc se ipsum obtulit, quibus & ab errore parum mutatis umbram Christianitatis impressit.* Hunc sequuntur CHARTVITIVS *Episcopus in Vita* S. STEPHANI *R. Hungar. ap. Eund.* SVRIVM *Tom. IV. ad d.* 20. *Aug. fol* 857. COSMAS PRAGENSIS *ad A.* 996. LANGIVS *in Chron. Citiz. f.* 761. BONFINIVS *rer. Hungar. f.* 199. 200. BAKSCHAY *in chronol. de Reg. Hung. f.* 903. DVBRAVIVS *L. VI. f.* 46. CVREVS *Annal Sil f.* 34. WERNERVS ROLEFINCK *in fascic. temp. f.* 70. *b.* Et, ut pauca addamus, dissentientes hactenus nullos invenies. Temeritatis equidem opus videbitur, communi contradicere consensui. Tentabimus tamen. Ante omnia observamus; SYLVESTRVM, *Autorem vitæ Canisianæ*, altum tenere silentium; cum ætas ejusdem, dignitas & scopus parem polliceri, imo poscere posset rei explicationem: Quantum vero silentium Autoris coævi in refutandis fabulis valeat, Historici norunt. Præter hanc rationem magnum offert momentum insignis Autorum allegatorum ratione circumstantiarum occurrens hallucinatio. Quilibet suo indulget genio. Varium hinc etiam narrationis conficitur filum, differens ab Ariadnæo, cum ope hujus reducamur, illius seducamur. Verba Suriana aliis ad gloriam tanti Martyris insigniter extendendam non sufficiebant, atque nimis videbantur generalia, inde chaos ortum est fabulosum *de* STEPHANO *ab ipso baptizato, de somnio* GEYSAE, imo *de* STEPHANI *per* ADALBERTVM *educatione.* DVBRAVIVS commenti istius male cohærentis debilitatem cognoscens, STEPHANVM *Præfectum s. Capitaneum Hungariæ* facit, atque

§. XX.

Bohemi secundo ADALBERTI abitu magis adhuc

de ejus baptismo summa loquitur ambiguitate. BONFINIVS annum baptizati STEPHANI ponit 909. *fol.* 198., quod Sphalma lubentes Typographo tribuimus. Ast licet numerum invertentes A. 990. accipiamus, tamen illa infantia STEPHANI, cum GEYSAE Patris mors in A. 997. incidat, neque cum inchoato imperio, neque cum HERMANNI CONTRACTI verbis conciliari poterit, qui ad A. 995. STEPHANI matrimonium notat, dicens: *Gisla Stephano Regi Hungarorum, cum se ad fidem* CHRISTI *converterat, quasi vero juxta nomen suum fidei* obses (Geissel) *in conjugium data.* Et licet serius hoc conjugium protrahamus; VRSPERGENSIS tamen etiam testatur: *Imp.* HENRICI *Sororem* GISELAM *Regem Ungariorum non prius promeruisse, donec hic, se Christianam religionem recepturum, promisit, quod etiam fecit*; cui adstipulatur AVTOR *antiquus Vitæ* S. HENRICI *Imp. in* CANISII *Tom. VI. Lect. ant. p.* 390. Hactenus dicta eo redeunt, quod Scriptores medii ævi, quando de Christianæ religionis in Hungaria initiis loquuntur, Adalbertum omnes sileant, conjugii tantum velut causæ mentionem injiciant; quæ eorum narratio majorem fidem postulat, quam confusa citatorum Autorum cumulatio male connexarum rerum. Verum ut rivos exsiccemus, fontem obturare oportebit. Primus errorem seminavit *Autor vitæ Surianæ*, si huic illa verba tribui possunt, de quo tamen non immerito dubitamus. Quod enim fides *Surii* propter emendationem adhibitam non ubivis firma sit, jam supra ostendimus. In hoc autem loco verba connectendi: NON TACENDVM, integrum negotium magis adhuc suspectum reddunt. Hæc enim conversionis historia, quæ insigne vitæ Adalbertinæ foret momentum, quasi per parenthesin explicatur: quapropter has lineolas ex mala fide posterorum irrepsisse, confidimus. Præter suspicionem ex ipso verborum contextu ortam, circumstantiæ quoque aliud svadent. Totum

adhuc irritati, atroci eundem ſcelere ssss) notant. Quacerte Adalbertum durities Bohemorum in antecedentibus accuſata occupabat, ut falcem in alienas meſſes immittere ipſi non liceret. Obſtat etiam, quod Romæ ſecunda vice ſolutionem vinculi Epiſcopalis petens promtitudinem Ethnicorum Hungarorum in aſſumtione fidei Chriſtianæ nullatenus indurationi Bohemorum oppoſuerit, ut contraria juxta ſe. poſita magis eluceſcerent. Hac ratione enim optimum argumentum adhibiturus fuiſſet, ad procurandam dimiſſionem, quam anxius appetebat. Addimus, quod ipſi etiam Legati iterata vice Epiſcopum Romæ ſibi expetentes, neceſſitatem præſentiæ Adalbertinæ in Bohemia, tali converſionis actu adlegato optime ante oculos ponere poterant; cum de ejus, qui Hungaros feliciter converterat, futuris exoptatis in Bohemia progreſſibus, deſperandum minime erat. Et quis omnes minutias enodabit? Perſvaſi enim ſumus, ex hactenus dictis quadantenus pateſcere, non commode ADALBERTO iter tribui poſſe Hungaricum. Adeo tamen omnem pudorem exuit BOLELVCZKI, ut c. 12. §. 7. p. 347. fingat: ADALBERTVM *fuiſſe Archi-Epiſcopum Strigonienſem, conteſtantibus id ipſum tabulis Archi-Epiſcoporum Strigonienſium, ab Ungaris in lucem editis.* Credidit forſitan, ex teſtimonio aliorum falſitati firmiorem illini poſſe fucum. Sed nec tabulæ ſemper omnibus mendis exemtæ. Et ita hic Archi-Epiſcopatus cum Gneſnenſi, licet poſterior etiam defenſores autoritate fultos habeat, paria exploſionis fata apud Eruditos in ſequentibus ſubibit temporibus. Tantum de Hungarica ficta peregrinatione.

ssss) Ad A. 995. hæc collocantur a COSMA PRAGENSI, qui improbi facinoris enormitatem adaucturus, *die illud feſto commiſſum* addit. Curatiorem ejus notitiam *Vita Suriana* ſuppeditat f. 835. ſequentibus: *Sexta die in vigilia precioſi Martyris* WENCESLAI *bella inceperunt.* Unde edocemur, quod die S. WENCESLAO ſacro, ſ. 28. Sept. ſine dubio miſerabile illud obtigerit ſpectaculum. BOLELVCZKI c. 11. §. 15. p. 312.

Quatuor tttt) namque Martyris fratres, Soboborum,
G uuuu)

diem eundem approbat; respectu Anni, quem 983. vult, tantum abiens. Verum cum cædes fratrum, & ultima repetitio Adalberti non commode per latius temporis spatium disjungi possint, Annum 995. cur rejiciamus causam non habemus.

tttt) Numerum hunc debemus AVTORI *vitæ Sur. l. c.* COSMAS enim 5. cum DLVGOSSO & DVBRAVIO exprimit, quorum *quartus* interfertus ipsi *Poreii*, DLVGOSSO *Zavissa*, DVBRAVIO *Borita* appellatur. LVBIENSKI minorem nobis habet numerum, adserit enim *in Vita Pstrokonski inter opusc. f.* 396. *tres tantum fratres a Bohemis occisos, quartum in Poloniam effugisse.* In eo Polonorum Scriptores consentiunt, *Poraium* in Poloniam secessisse, ibidemque familiam Rosarum plantasse. Consule ante omnes SIM. OKOLSKI *Tom. II. Orb. Poloni*; *voce Roża, alias Poray f.* 634. — 645. Falluntur tamen, qui absque selectu omnia eorum adserta arripiunt. Quædam saltem admittere oportebit, cum antiquioribus roborentur testimoniis. Sic *Vita Canisiana* memorat, *notum fuisse* BOLESLAO *Poraium*; idem affirmat *Suriana*, hunc *Poraium*, *fratrem natu maximum* nominans, additque *fol. c.* 835. *Hoc tempore, quando digna indigni scribimus, gladio occubuit etiam frater maximus. Completa autem est pii* ADALBERTI *visio* (eam Autores Adalbertum per ecstasin quandam Romæ ad Altare de funere fratrum habuisse volunt; ac chirothecam in Bohemia reliquisse sibi persvadent) *tota, dum ante se quatuor fratrum, postea hoc anno maximi fratris mors subsecuta est.* BOLELVCZKI in claris lippus, in obscuris lynceus *P. I. c.* 1. §. 8. tempus magis adhuc exprimit, referens, circa A. C. 1008. adversus paganos Russos fortiter depugnantem occubuisse Poreium. Nobis nunc sufficiet, ex verbis illis quatuor fratrum cædem stabiliri, & ne COSMAS contrarius videatur, facillima methodo conciliari poterit. Autor enim in *Surio* præsentia scribit, & specialius ita circumstantias tangit. COSMAS autem generaliter suo tempore *quinque* occisorum me-

uuuu) Spicimirum, Dobroslaum & Czaslaum in oppido Lybicensi invadunt, opprimunt, cædunt, familiamque trucidant. Civitatem xxxx) strage tot innocentum temeratam spoliant, & ovantes tam præclaro scilicet fortitudinis edito specimine redeunt. Sic impium vulgus non nisi sangvine nobilissimo fuso vere Adalberto renunciari existimabat.

§. XXI.

Et nihilo minus, cruenta illa licet strage edita, WILLIGISVS yyyy) a Pontifice M. GREGORIO

minit, cum circa finem Sec. XI., quo vixit, jam dudum 5. illi fratres, licet diversa ratione occubuerant.

uuuu) Hic etiam, quamvis Autores in pronunciatione nominum multum differant, talia, quæ magis commoda nobis videbantur, elegimus, quod monemus, ne Lectorem differentia Lectionis in aliis Scriptoribus confundat.

xxxx) Integrum populo adscriberemus facinus, nisi quodam modo ipse BOLESLAVS suspectus de eodem fieret. *Autor* namqne *Vitæ Surianæ l. c.* ait: *Fratrem natu maximum apud Imperatorem questum esse, Ducem Boëmorum* BOLESLAVM *sine misericordia se suosque fratres multis malis affecisse* Nec suspicio tolli poterit ex eo, quod idem subjiciat, *sacramento ex parte Ducis illis pacem fuisse promissam.* Cum enim statim sequatur: *furentem populum fratres cecidisse*; & talis plebis furor neque præsentem, neque subsequentem extorserit vindictam, quis Ducem ab omni labe existimabit immunem? Forsitan oppidi nobilis vicinia, BOLESLAI excitavit desiderium, sub quocunque prætextu idem sibi acquirendi.

yyyy) Non contradicimus COSMAE, qui ad A. 995. refert, WILLIGISVM a BOLESLAO ad repetendum Adalbertum fuisse solicitatum. Tali solicitatione Curia Romana ab omni suspicione optime

RIO V. denuo obtinet, ut ADALBERTVS secunda vice A. 996. zzzz) Monasterio relicto Bohemiam repetat. Miser Antistes hoc tantum sibi expetit solamen, ut, si Bohemi eundem æquo animo suscipere noluerint, ad exteras, & ab Ecclesia Christiana separatas, abire posset gentes, sperans, illas prædicationibus suis magis futuras obedientes. Precibus impetratis, monasterio in perpetuum valedicit, & in itinere loca quædam perlustrat. aaaaa) Tandem Imperatorem accedit, hujusque consvetudini aliquot diebus concessis, apud BOLESLAVM Ducem Polonorum divertit,

 bbbbb)

poterat removeri, & BOLESLAVS omnem fusi sangvinis culpam in subditos devolvebat. Si tamen serio repetiisset Episcopum, ei quoque in integrum restituendo & conservando majorem adhibiturus fuisset zelum.

zzzz) Hoc anno secundum Adalberti ex Monasterio contigisse abitum, omnes probant circumstantiæ. In Autoribus enim mentio injicitur GREGORII V. *Pontificis*, OTTONIS III. *jam coronati Imp.* & *ex Italia in Germaniam redeuntis.* Coronatio autem teste LAMBERTO peracta A. 996. Et licet SIGEBERTVS A. 993. habeat, cum tamen omnes historiarum codices adversentur, ipsa quoque rei veritas obstet, merito emendatur. Synodus igitur A. 996. ad consulendum de causa ADALBERTI, congregabatur, ubi acriores, quam olim experiebatur censores Adalbertus. GREGORIVS quippe Scripturæ sententiis adfirmabat, non posse impune illum semel susceptum dimittere gregem; ac reliqui Episcopi sub pœna anathematis reditum injungebant. v. *Vita Suriana f.* 834.

aaaaa) *Alpibus* scilicet *superatis Turones petiit, hinc Parisios venit, postea Floriacum cœnobium invisit*, & *tandem Moguntiam abiit.* Quod ejus iter pressius describit *Vita Suriana l. c. Canisiana* quoque tempus in itinere consumtum,

bbbbb) atque per hujus nuntios certior fit, Bohemos ccccc) nullatenus eum Pastorem suum recognituros.

§. XXII.

Commoratur igitur paulisper apud eundem, ddddd)

---

duorum nempe *mensium spatium*, addit, & *comitem itineris* nominat *Episcopum* NOTHERIVM *c.* 33.

bbbbb) LVBIENSKI subodorans, non omnibus conversionem Hungariæ arrisuram, si antecedentibus tribuatur temporibus, hic eam optime interplicari posse credit. *In vita* igitur *Episc. Ploc. f.* 311. ait: ADALBERTVM *primo in Hungariam, deinde in Poloniam venisse.* Sequitur in his, uti etiam in aliis DLVGOSSVM *l. c. col.* 116. & MIECHOVIVM *L. II. c.* 8. Verum cum jam *not. rrrr.* ostenderimus, generaliter in dubium vocari hoc iter Hungaricum, quoad hoc etiam tempus statui illud non poterit, quia MATTHAEVS *apud* KADLVBKONEM *Tom. II. Dlugoßi col.* 643. citatos illos Scriptores ætate multum antecedens scribit: *Boleslaum suscepisse* S. ADALBERTVM (non ex Hungaria venientem, sed) *injuriis bohemorum actum, quem Sanctus informavit.*

ccccc) Nuntiis BOLESLAI acerbum Bohemos dedisse responsum referunt *Autores Vitæ Surianæ f.* 836. *Canisianæ c.* 36. Posterioris verba notari merentur: *Sumus peccatores*, dicebant, *populus iniquitatis, gens duræ cervicis: tu Sanctus amicus* DEI, *verus Israëlita, & tibi omnia cum* DOMINO. *Talem ac tantum non portant cohabitationes & consortia iniquorum. Et tamen unde hoc genus, ut toties repulsos, toties abjectos non unius sed diversarum mentium* (forte: gentium) *requirat Episcopus? Agnoscimus, agnoscimus, quid sub colore pietatis mendosum tinniat hæc sanctitas. Nolumus eum, quia, si veniet, non venit pro nostra salute, sed pro puniendis malis & injuriis, quæ de fratribus suis fecimus & fecisse juvat. Non est, qui recipiat eum, non est usque ad unum.*

ddddd) & post exiguum temporis spatium eeeee)

ddddd) Unanimes sunt in errore Scriptores Polonici, referentes, A. 999. Boleslaum fastigium Ducalis ascendisse honoris. Diu etiam in illis historicæ connexionis tenebris versabantur alii, usque dum lumen aliquod accenderet Doctiss. LENGNICHIVS *P. II. Bibl. Polon. Obs.* I. §. I. *not. d.* ostendens: *cum* KADLVBKONE (vel si mavis, MATTHAEO *in Kadlubkone*) *chronologicum istud erratum conciliari non posse.* Ipsi jam olim Polonorum Historici, quadantenus aliquid contradictionis sentientes, unam alteramve circumstantiam, falsitatis clypeum immiscuerant, videlicet *de* BOLESLAI *amicitia cum* PORAIO, *de precibus* BOLESLAI *pro* ADALBERTO *in Archi-Episcopum Gnesnensem evehendo* MISICONI *factis &c.* Speciem veritatis quædam habebant, ipsam veritatem respuebant. DITMARVM igitur Dn. LENGNICHIVS producebat, Scriptorem propter ætatem omni exceptione majorem, cujus verbis, non A. 999. sed A. 992. MISICONEM mortuum, & BOLESLAVM successisse, indicabat. Admiratio erroris inveterati feliciter sublati, ut ipsum DITMARVM debita cura evolveremus, effecit, & ista solers DITMARI indagatio etiam nos movit, ut a communi equidem recederemus opinione, Annum tamen 992. non admittentes. Verba hujus Autoris leguntur *Lib. IV. p. m.* 91. sequentem in modum: *A. Dom. Incarn. DCCCCXCII., regni autem Tertii Ottonis* octavo, *hic præfatus Dux* (quem p. 89. *Misiconem* nominaverat) *jam senex & febricitans ad patriam* (sc. cœlestem) *transiit.* Hic annum 992. & regni Ottonis III. octavum conjungit. Si itaque nævus in conjunctione deperitur, ille magis referendus erit ad numerum priorem, quam posteriorem. Probabilius enim est, imo demonstrari etiam potest, Annos a nato Christo computatos in MStis antiquioribus numeris indicatos fuisse, cum Anni regni contra literis ibi expressi reperiantur. Non inficiamur, etiam posteriori casu quandoque numeros adhibitos, a potioritate tamen merito concludimus. Ad-

eeeee) magnum illud conversionis Prutenicæ opus

didimus hæc, ut humanæ Clar. Viri objectioni, quam grata submissione cognovimus, quadantenus occurreremus. Unde autem nobis conjunctionis error patuerit, sequentia dabunt. Apud DITMARVM p. 72. ponitur, THEOPHANIAM *Imperatricem mortuam A.* 990. & tunc OTTO III. dicitur *Rex* 7. *annos regnans*. Unde OTTO III. A. 991. erit *Rex octo annos regnans*. Idem ex alia ratione elucescet. L. III. p. 61. memoratur, *in die Natalis* DOMINI (984.) *consecratum fuisse* OTTONEM III. *Aquisgrani*. Jam autem monuimus, tum temporis annum a die, Nato SALVATORI Sacro, inchoari solitum fuisse. Quodsi igitur progredimur ab A. 984. usque ad A. 991., octavum Regni iterum habebimus annum. Hinc jure colligimus, Misiconem A. 991. diem supremum obiisse, & per negligentiam Scribarum in computatione Annorum Christi alterum irrepsisse numeralem. Si tamen præter spem argumenta nostra aliis non fecerint satis, ad minimum hoc largientur, quod in alterutro numero error lateat; & tunc nihilominus ansam verba hæc corrigendi doctioribus suppeditavimus.

eeeee) Merito hic tangitur controversia illa, num ADALBERTVS inter ea fuerit Archi-Episcopus Gnesnensis? Jam dudum illa aliorum vires tentavit. HARTKNOCHIVS *l. c. H. E.* §. 8. falsitatem ejus adserti sex rationibus demonstrat. Celeb. Dn. LENGNICHIVS *l. c.* §. 4. & *ib. in not.* LVBIENSCII zelum salse stringit: & HELWICHIVS *Disp.* 2. §. 13. HARTKNOCHIVM fideliter persequitur. Nos, hanc Archi-Episcopatus dignitatem perperam ADALBERTO adscribi, eo magis persvasi sumus, cum præter rationes HARTKNOCHII adhuc aliæ supersint. Non exigui enim ponderis argumentum invenisse credimus in ipso DAMALEVICIO, Archi-Episcoporum Gnesnensium Scriptore. Hic, licet quarto ordine ADALBERTVM *Martyrem* introducat, illius vitam ibi proponat, atque communem fabulam fulcire conetur, tantum ta-

opus majori alacritate quam successu aggreditur. fffff) Comites sibi sumit Gaudentium Fratrem

men abest, ut isti adserto tam presse inhæreat, ut in sequentibus ordinem coeptum ipse interrumpat. Oportebat eundem esse memorem, jam ADALBERTUM aliquem antecessisse, & nihilominus ALBERTUM *Jastrzębecium*, qui in serie trigesimus quintus, primum; quintum vero & quinquagesimum ALBERTUM *Baranovium* secundum ejusdem nominis constituit Archi-Episcopum. Vix sane hanc negligentiam palliabis, nisi vel distinctionem aliquam ineptam inter *Adalberti* & *Alberti* nomina obtrudere, vel statuere volueris, sanctitatem martyris communi eum exemisse successioni, quod postremum ex ipsa Pontificum M. serie refutatur; prius autem melius spernitur, quam refellitur. Huic rationi accedit, quod SARNICIUS, Scriptor Polonorum minime rejiciendus, istum ADALBERTI honorem siluerit. Addimus, nos in *not. zzzz.* ostendisse, quod ADALBERTUS non A. 995. sed 996. in Poloniam venerit. Et ita, junctis iis, quæ ad obfuscandum Gnesnensis Infulæ splendorem, & restituendum sibi verum ADALBERTUM a supra citatis proferuntur Autoribus, negativa magis confirmatur.

fffff) Proprio motu ADALBERTUM conversionem Prussorum cœpisse, certum est. Quapropter insigniter errat THEODORICUS *a* NIEM *Lib. IV. Nemoris Unionis Tract. 6. cap.* 33. quando existimat: OTTONEM M. S. ADALBERTUM *misisse ad prædicandum Prutenis, & aliis perversis nationibus circumcirca positis.* Locum illum *Maderus* DITMARO suo præfixit. OTTO enim M. jam ante 24. annos fato functus erat, cum hæc nostri martyris conversio inchoaretur. Imo nec BOLESLAO, s. *Polonum*, s. *Bohemum* intellexeris, hoc opus tribui poterit. Autorum siquidem curata inspectio hoc dabit, ADALBERTUM a nullo missum, sua sponte, Pontificis tamen M. intercedente consensu ad Prutenos demigrasse.

trem germanum, & alium quendam Benedictum. ggggg) Quorum omnium securitati ut prospiceret Boleslaus in itinere, navem hhhhh) cum triginta subministrat militibus. Sic præparatus Adalbertus, bonis avibus terminos iiiii) Pruſ-

ggggg) Hos comites *Vita Canis. c.* 39. notat. Ast LVBIENSKI, præter alios idem sentientes, scribit: *Benedictum, Joannem, Matthæum, Isaacum atque Christinum martyres Polonis notos, D.* ADALBERTI *in peregrinatione socios fuisse, & hoc antiqua semper traditione credidisse Ecclesiam Polonicam, eorumque memoriam ad diem pridie Idus Novembris pia veneratione colere*; *in vit. Episc. Ploc. f.* 312. PONTANVS autem *in Bohem. Pia f.* 34. tantum sibi indulget, ut ADALBERTVM *cum bis quinque fratribus apud Prussos martyrio coronatum* nugetur: Idem tamen postea *f.* 51. vulgarem famam referens, illam opinionem mutat.

hhhhh) Testatur id *vita Canisiana c.* 38. Operæ tamen pretium erit, lepidum adducere errorem BZOVII, ex prava verborum distinctione ortum. CANISIVS ita legit: *ut, quia hæc regio proxima & nota fuerat Duci prædicto, Pruziæ Deos & idola iret debellaturus. Dux vero cognita voluntate ejus, dat ei navem &c.* BZOVIVS vero hac ratione sensum invertit: *ut ejus regionis, quæ proxima est, & nota fuerat Duci Prussiæ, Deos, & idola iret debellaturus. Dux vero Prussiæ* BOLESLAVS *cognita voluntate Sanctissimi* ADALBERTI *dat ei navem.* Et ex hoc corrupto & maxime depravato textu concludit: *Argumento est, Prussiam tum etiam, juris Poloniæ fuisse.* Risum teneatis!

iiiii) Prussiam olim Poloniæ fuisse conterminam jam §. IV. diximus. Hic tamen, cum ADALBERTVM *nave vectum Prussorum terris illapsum* notet *vita Suriana f.* 836. & *urbem Gidanie, Ducis latissima regna dirimentem* memoret *Canis. c.* 37. quædam specialiora respectu horum terminorum proferemus. Si Polonos hic nobis eligeremus duces, limites Regni Polonici adeo fo-

Prussorum adit. Oppidum Gidanie kkkkk) H nunc

rent extendendi, ut Slavorum Regulis tantum non omne adimeretur. Olim non semper eosdem fuisse, etiam Germanorum testantur Historici; præsertim si oppida spectes in Silesia, Lusatia, Misnia &c. sita. Maxime itaque dolendum, nondum extitisse Conringium Sarmaticum, fines Principatus Polonici per singula notiora Secula regentem, cum majori ita aliquid certitudine definire liceret. Quod interea Prussiam attinet, conjecturis contentos nos esse oportebit, quas ex testimoniis nonnullorum historicorum figemus. Jam Seculi XI. Scriptor ADAMUS BREMENSIS Prussiam Poloniæ fuisse contiguam notavit *lib. de Situ Daniæ p. m.* 138. verbis sequentibus: *Insula est — quæ Semland appellari solet, contigua Ruzzis & Polanis; hanc inhabitant Sembi vel Pruzci, homines humanissimi, qui obviam tendunt ad auxiliandum his, qui mari periclitantur.* Eadem HELMOLDUS habet *L. I. c.* 1. Ex his præter viciniam Polonorum liquet, Prussos tunc inhabitasse insulam, fuisse vocatos Sembos, & domicilia ad mare habuisse. DUSBURGIUS *Part. III. c.* 2. quidem inter terminos generale Poloniæ nomen non habet, ponendo *Wiselam, — Ducatum Masoviæ & Dobrinensem:* Statim tamen addit: *Wissela est aqua fluens de Cracovia in terram Pomeraniæ circa castrum Danczke intrans mare dividens Poloniam & Pomeraniam a Prussia.* Quæ verba iterum viciniam Poloniæ magis exprimunt, cum jam sufficeret mentio illorum Ducatuum Poloniæ accensitorum. Agmen claudat AENEAS SYLVIUS *p. m* 34. *a. edit. Venet.* 1501. scribens: *Pruteni — ripas utrasque Vistulæ amnis accolunt.* Ut hactenus dicta in usum nostrum convertamus ad explicandos terminos, quos adiit ADALBERTUS; ex opinione nostra illa pars Vistulæ intelligenda erit, quæ sinistrum latus versus mare naviganti conficit. Præter enim quod ex loco PII II. elucescat, Prutenos ibi habitasse, id etiam accedit, quod omnia, quæ de Sinu Codano memorantur, non nisi ad hunc tractum commode referri queant. Injustum insuper foret, nimis arctis includere limitibus Prussos,

nunc Gedanum nuncupatum, primum petit, Pri-

populum viris sine dubio jam illo ævo potentem, cujus probationem suppeditant incursiones in alienas terras postea sæpissime factæ, & pertinax Polonorum contemtus. Quæ magis adhuc ad terminorum horum explicationem faciunt, v. in not. seq.

kkkkk) Nullum hujus oppidi nobis suppeteret vestigium, nisi *Autor vitæ Canisianæ* illud servasset. Ipsa verba occasionem penitius ea scrutandi offerent: *Primo* (ADALBERTVS, sic inquit c. 37.) *adiit urbem* GIDANIE, *quam Ducis* (*Bolaniorum* BOLEZLAI) *latissima regna dirimentem maris confinia tangunt.* BOLELVCZKI hic absque ullo scrupulo DANTISCVM substituit c. 13. §. 15. p. 416. rationes, cur ita legendum sit, investigandas aliis relinquit. Nec abit ab eodem HELWICHIVS *Disp.* 2. §. 14. Forsitan BOLELVCIVM BZOVIVS movit, qui *cap.* 33. *vita* ADALBERTI *f.* 606. *b.* in textu: GEDANVM, habet. Aliis tamen Autoribus ita locus ille nondum satis clarus videbatur, hinc lectionem istam invertebant. *Autor* enim *Surianus*, forsitan *Surius* ipse, hic urbem GNESNAM intrudit. Ast Poloni, confirmationem tantum in Christiana religione, non autem ejus introductionem ADALBERTO tribuentes, non admittent, *baptizasse eum*, *in via, Gnesnæ populum grandem nimis.* Ne sine autoritate introductionem ADALBERTO negasse videamur, loquatur ipse COMMENTATOR KADLVBKONIS *in edit. Dlugossi Lips. col.* 646. S. ADALBERTVS *Polonos ad fidem Catholicam non convertit, sed eos fideles inveniens, notitiamque singularem cum* BOLESLAO *habens in Regno Poloniæ Archi-Episcopus fuit*; (falsitas posterioris non tollit veritatem priorum) *prius fides Catholica in Polonia claruit, quam ipse in Episcopum Pragensem consecratus fuit.* Præterea verba illa *Surii* ob sequentia præsertim Chorographis suspecta erunt; Sic narrationem persequitur *f.* 836.: *Inde nullas moras nectit, navem ascendit.* — *Non post multos dies carina secante terga maris*, DEVM *nescientibus illabuntur Prussorum terris.* Et

Primos quoque ibi fructus sui laboris colligit,

hac ratione falsitas falsitatem prodit. SCHVRTZFLEISCHIVS istis, uti credimus, circumstantiis motus *in hist. Ensifer. Ord. Teut. Livon. p.* 260. pronunciat, *non* GNESNI, *sed vocabulum* GIDANIE *omnino* esse *retinendum*, atque, ut difficultatem explicationis tollat, subnectit p. 261. *propius ad verum accedere sibi videri lectionem, qua substituitur Urbs* JULINI. Ast illa vocis immutatio sine necessitate assumitur. Ita enim textui sensum non inferimus, sed efferimus, cum situs hujus loci hanc denominationem prorsus non admittat. Palmarias causas, cur ad hanc variationem confugerit, SCHVRTZFLEISCHIVS ipse *p.* 261. addit: *Alioquin fateor, apud alios illorum temporum Scriptores non inveniri hujus nominis urbem, quæ* GIDANIE *appellata fuerit: præterea testimonio, ex vita* ADALBERTI *producto, refragari vetustam inscriptionem a* SCHVZIO *allatam & ab* HARTKNOCHIO *repetitam in hist. Pruss. P. II. c.* 3. Utraque ratio tanti momenti non est, ut ab antiquâ recedamus Lectione, & nubem pro Junone amplectamur: *Prima* non obstat; nam cum hujus anguli atque districtus apud Autores nulla fere fiat mentio urbis ignobilis objici non poterit oblivio. Ejus potius existentiam Autoris coævi autoritas fulcit, & probationem contra adversarios suppeditat *Secunda* ratio etiam sua sponte ruit. Si enim ad inscriptionem *f.* 431. *in* HARTKNOCHIO obviam (aliam opinari nequit) illa tendunt verba, hæc ex eodem Autore *f.* 259. SCHVRTZFLEISCHIVS in ordinem redigere poterat, ubi, licet *A.* 1343. *murum Civitatis Dantiscanæ fundatum* HARTKNOCHIVS profiteatur, tamen *locum, in quo arx condita, Gothos incoluisse &c.* adserit, eademque fusius deducit *eod. cap.* §. 14. *f.* 428. — 30. Et ita vox illa GIDANIE contra opinionem SCHVRTZFLEISCHII melius retinebitur. CLUVERIVS, quem demonstratio antiquitatis DANTISCI ad varias deflexit ambages, hæc sine dubio verba ignoravit, cum illa adducta non exiguum ipsius sen-

tentiæ decus allatura fuissent atque ornamentum. Ultra Herodoti is ævum usum nominis DANZKE, extendit, atque ne arcus nimium intensus rumperet, & antiquitas, obscuritatibus potissimum involuta, nec sufficienter adhuc demonstrata sibi officeret, ex similitudine vocis: GOTHISCANZIAE, a JORNANDE adhibitæ, existentiam GEDANI ad minimum temporibus Justiniani Imp. se vendicasse, aliis persvadere conatur. Ita enim gloriatur *L. III. Germ. Antiq. c.* 34. *f.* 141. *atque hinc jam de Antiquitate nominis hujus oppidi ad* JVSTINIANI *usque Imperatoris tempora* (regnavit circa medium Seculi VI. Liber autem ille CLVVERII excusus typis *Lugd. Bat.* A. 1616.) *quibus* JORNANDES *scripsit*, *i. e. ad Annos circiter* 1070. *certa ratione constat, si quis de ulteriore illo ad* HERODOTVM *usque ævo dubitare minimum velit.* Ultima verba fiduciam produnt insignem, siquidem etiam ipse de Antiquitate, Herodoti ultra tempora extendenda, nullum fovere videtur dubium. Nam *l. c. f.* 140. concludit: *Constat jam igitur loci hujus ad Vistulæ Rodanique* (hunc fluvium esse HERODOTI *Eridanum*, contra GOROPIVM, id honoris *Vistulæ* tribuentem ostenderat *f.* 137 — 139.) *confluentes vetustissimam esse celebritatem, ut quæ ultra bis mille retro annos extendi possit, ad eos usque mortales, ex quorum traditione* HERODOTVS *hausit, ab his oris Europæ extremis, & ab flumine Eridano Electrum deferri in Græciam.* Et caput conclusione omni quasi exceptione majore obsignat *f.* 141. *Ceterum antiquissima memoriæ dignitate universas totius non modo Germaniæ, sed Septentrionis urbes antecedit, quarum nulla originis suæ bis mille annorum monumenta exhibuerit.* Placeat sibi CLVVERIVS, probetur etiam ab aliis. Nobis sufficiet, quod SYLVESTER voce: GIDANIE, ostendat, jam Seculo X. extitisse GEDANVM. Affinitas vocis id demonstrat, ipse etiam regionis situs patefacit. Sed cum terminos Prussorum adiisse Adalbertum dicamus, aliqua hic removenda difficultas occurrit. Videlicet: Temporibus illis GEDANVM *Pomeraniæ* forsitan districtui; non autem *Prussiæ* adscribebatur. Ipse DVSBVRGIVS *supra cit. l.* clarissi-

mis verbis GEDANVM *a Prussia* avellit. Et hac ratione *regionis* ad minimum determinatio obſcuritati ſuberit. Si enim ad *Pomeraniam* urbs illa accenſita fuit, ex ſilentio *Scriptoris Canisiani*, cum *Pomeranorum* non meminerit, ipſa de urbe prolata ſententia titubabit. Ut hic nos expediamus, notandum *primo*: demonſtrari non poſſe, uſum vocis: *Pomerania*, ante Seculum XI. inveniri, quo primum ADAMVM BREMENSEM illam adhibuiſſe notavit HARTKNOCHIVS *Disput. de Origin. Pomer. adj. tract. de Republ. Pol. edit. poster.* §. 13. *p.* 1004. *Prussorum* itaque regioni adnumeratum fuiſſe diſtrictum, qui alio nomine nec occurrebat, nec forte occurrere poterat, quis mirabitur? *Secundo*, ut DVSBVRGIO hiſtoricum opponamus, illo antiquiorem obſervamus, KADLVBKONEM, Scriptorem Seculi XII., mentionem facere *Marchiæ Gedanensis*, verum ita, ut diſcerni eandem a Pomerania luſcus videat. Sic loquitur *Lib. IV. chron. Pol. c.* 8. *col.* 778. LESZKONI *provincias* (hæ *Mazovia* & *Cujavia* erant. conf. *ib. L. III. Ep.* 31. *col.* 645.) *paterno relictas testamento confirmat. Præsidi earundem, omnibus prædito virtutibus, Principi* SIRONI *ejus curam committit: Ejusdem Sironis nepoti* SAMBORIO Gdanenſi Marchia *instituto, quendam quoque, cui nomen* BOGVSLAVS, ſeu BEODORIVS maritimis *Ducem constituit.* Per *maritimos* vero KADLVBKO intelligit *Pomeranos*, quod ex aliis locis patet, nimirum *L. II. Ep.* 29. *col.* 683. *L. III. Ep.* 5. *col.* 698. 699. *Ep.* 15. *col.* 711. conf. HARTKNOCHIVM *l. c.* §. 12. *p.* 998. Et hinc contrarium patet, quod ætate KADLVBKONIS *Gedanum Pomeraniæ* nondum accenſuerint, quamvis de ſequentibus temporibus dubium nullum relinquatur. Nec mirum eſt, tandem diſtrictum illum a Pruſſis fuiſſe avulſum, cum tot tantaque cum Principibus Polonorum aliisque vicinis interceſſerint bella. Quod autem *tertio* ipſum DVSBVRGIVM attinet, ambabus largimur, Seculo XIV., quo ipſe ſcripſit, *Gedanum* partem *Pomeraniæ*, quam aliis *Pomerelliam* nominare tandem arriſit, effeciſſe. Quoad antiquiora tempora tamen ideo nobis non erit contrarius. Et ut *quarto* ſilen-

git, lllll) magnam hominum catervam fonte salutis tin-

tium *Autoris Canisiani* etiam tangamus, hoc tantum abest, ut nobis obsit, ut opinionem nostram fulciat; cum ex illo secure concludere queamus, nondum Pomeranorum innotuisse denominationem. Nihil enim speciatim de districtu, cui hæc urbs adscripta fuit, hoc tantum memorat, diremisse eandem BOLESLAI regna. Præterea, post confirmatum in opinione de convertendis Prussis ADALBERTVM, confestim accessum ejus ad hanc urbem proponit, & *Prussiam* non vero *Pomeraniam regionem* Polon*iæ proximam* nominat. Hinc tandem prono alveo nobis fluere videtur, GEDANVM *jam Sec. X. extitisse*; *ad* Pr*ussiam illo ævo pertinuisse*, & ADALBERTVM *intra fines suos recepisse*. GNESNAM vero, vel JVLINVM male & corrupte textui Sylvestri pro Gidanie inferri.

lllll) Promptitudinem Gedanensium in susceptione Christianismi, eorumque lenitatem multum deprædicat, atque Pomeranis & Prussis in hac parte istos anteponit CVRICKE *Lib. IV. Chron. Gedan. c.* 2. *f.* 298. Ipsam tamen conversiouem serius ponit, scilicet sub SVBISLAO. Cum autem *not. antec.* evicerimus, GEDANVM venisse S. ADALBERTVM, *Autor* insuper *Canisianus* ostendat, non inutilem ejus operam ibi fuisse, merito assumitur, jam Seculo X. Religionem Christianam innotuisse Gedanensibus. Exinde primitiæ conversionis, ab ADALBERTO in Prussia institutæ, nostræ vendicantur Civitati. Illustrationis causa addemus verba ex *Canisio c.* 38. *Ibi* (in urbe GIDANIE) *divina misericordia adventum ejus prosperante, baptizabantur hominum multæ catervæ*; *ibi missarum solemnia celebrans* Patri *immolat* CHRISTVM — *Quidquid vero superfuit* DEO, (fortassis legendum: *de eo*) *quod ipse & novi baptizati communicarunt, colligere jubet, & mundissimo panno involutum sibi servavit pro viatico deportandum*. Ex supradictis quoque elucescit, huc facere verba SVRII, quæ *f.* 836. de *Gnesna* profert: *baptizasse eum ibi popu-*

tingens. Plus ultra tamen meditans, martyriumque ſitiens, ad aſperiorem mox ſeminationis locum mmmmm) proficiſcitur, & Sambos inviſit.

§. XXIII.

Hic circa *Chomor* nnnnn) male ab incolis idolorum cultoribus exceptus, poſt exiguam commorationem eo

lum grandem nimis. Cæterum monemus, manſvetudinem laudatam Gedanenſium quadantenus confirmare reſiduam, ex priſtina aſſumta religione, animorum pronitatem.

mmmmm) Iter ADALBERTI a BOLELVCIO *c.* 13. §. 16. *p.* 416 417. ſequentem in modum delineatur: *Dantiſci ſ. Gedani felicius adminiſtrato divino negotio, per Baltici maris aut potius Venedici Sinus brachium in Gambiam,* Pruſſiæ Provinciam, *medio ſolum a Fiſchuſio milliari fortiſſime decurrit.* SYLVESTER apud CANISIVM *c.* 39. generaliora habet: *imponitur carinæ & pelago. — Hinc nauticum iter velocisſimo curſu peragens, poſt paucos dies marinum litus egreditur, & reverſa eſt navis cum armato cuſtode.* Omnibus probe ponderatis ſuſpicamur, ADALBERTVM mari inſulam, *Neringam* hodie dictam, circumnavigaſſe, ne ex illa parte, quam Viſtula alluit, milites cum nave periculum aliquod ſubirent, tandem poſt ſuperatum *lacum recentem* deſcendiſſe in regione, ubi nunc *Pillavia* ſita. Quæ noſtra ſuſpicio majus in ſequentibus reperiet augmentum.

nnnnn) Hoc nomine olim appellitatum fuiſſe locum, in quo hodierna die rudera priſtinæ Eccleſiæ, D. ADALBERTO ſacræ, ſuperſunt, fidem facit PRIVILEGIVM CVLMENSE, ab HARTKNOCHIO *Dusburgio* a ſe edito *junctum.* Ibi enim Pruſſi promittunt, ſe inter alias Eccleſias *quintam in Chomor S. Alberti in* Pomezania *ædificaturos l. c. p.* 469. conf. *not. bbbbbb.* In iſto loco non parem expertus eſt humanitatem: Gedanenſes enim benigne eum exceperant, *hic* autem *remo percuſſus & a loci poſſeſſoribus expulſus* teſte *Vita Caniſiana c.* 40.

eo adigitur, ut *per angustias lacus* transiret in *Neringam.* ooooo) Nondum tamen ibi finem suarum cernit miseriarum; saxea tantum corda, auresque salutaribus

ooooo) Hactenus equidem, quantum scimus, nemo ea ratione itineris Adalbertini cursum delineavit. Verum nec ullus etiam omnia, quæ in vetustis illis vitæ Scriptoribus leguntur, sufficienti enucleavit industria. Ipsum iterum textum in medium proferemus, ut explicationis modus cujusvis subsit examini. *Autor Canisianus* post finitam, de mala Prussorum exceptione, narrationem c. 41. ait: *Transiens vero in aliam partem fluminis, stetit ibi Sabbatho. Vespere autem facto, Dominus villæ divinum Heroa* ALBERTVM, *transduxit in villam.* Ex antecedentibus id patebat, Martyrem a ripa longius procedere non potuisse, neque interiora regionis, in quam pervenerat, penetrasse; quia incolæ *venientes pugnis expulerunt.* Cum autem fluvius ibi nullus ripæ propinquus reperiatur, ipse sine dubio *lacus*, ejusque *angustia*, fluminis speciem habens, optime substituentur. Hanc enim angustiam, trajectui maxime commodam apud Autorem longe dissitum nomine fluvii occurrere, mirum non est. Nec obstabit id, quod de villa, ejusque Domino in isto textu dicitur. Neringæ enim tum temporis non illa, quæ hodie datur, facies erat. Siquidem CVRICKE *L. II. c.* 24. *f.* 141. & SCHVTZIVS *Lib. I. f.* 30. (36.) Principis meminerunt, SWAYNONIS dicti (HENNEBERGER in nomine variat; *voce: Neidenburg f.* 333. ipsi vocatur SABINO; sub voce *Noitto: f.* 337. SWAINO; *voce, Sambia: f.* 414. SAWINO) cujus Principatus *Neringa*, Sedes autem fuit *Neidenburgum.* Hinc sedem Cruciferi post cædem Principis radicitus everterunt, ut nullum fere ejus appareat vestigium. Addimus, quod, ante septem Secula Neringam latiorem fuisse, hodiernæ probent arenarum congestiones. In illa enim insula quotidie aliquid districtui frugifero sensim decrescere, incolæ experiuntur. Objici posset fabula, quæ de ortu Neringæ olim animos male cultos delectavit, nisi, ab aliis ad nauseam

ribus monitis clausas invenit, imo idem experitur fatum. Rejectus nimirum à loci inquilinis ad priorem reducitur mansionem. ppppp) Hic, postquam per quinque dies delituerat, in publicum tandem prodit, qqqqq) missaque per GAUDENTIUM celebrata, morti imminenti constans occurrit.

§. XXIV.

Compos etiam fit desiderii, & corona marty-

usque explosa contemtum tantum excitaret. Et ita omnes difficultates sublatas speramus.

ppppp) *Autor Canisianus l. c.* Prussos prius introducit minitantes. *Vos*, clamant, — *nisi hac nocte discedatis, decapitabimini.* Postea vero addit, quomodo Martyrem ex suis dimiserint finibus: *Ipsa nocte naviculæ imponebantur, & retro ducti manserunt quinque dies in vico quodam.* Quæ BZOVIUS in suo Exemplari *c.* 34. *f.* 607. *a.* ita legit: *Unde ipsa nocte navem conscendentes, & non procul ascendentes manserunt quinque diebus in vico quodam.* Et hæc BZOVII verba trajectum, *not. ooooo.* firmatum etiam stabiliunt. SURIUS gloriæ martyris aliquid detrahit *f.* 837. scribens: *placuisse ipsi flectere ad ferocium Luiticorum idola, consuluisse quoque sociis, ut secum vestimenta mutent, cum illa paganis animis non parum offensionis attulisse sensisset.* Talis enim animi motus virum, non martyrium sitientem, sed devitantem proderet; male etiam de vestibus dicta concoquuntur, cum comprehendi nequeat, unde ADALBERTUS *ignotus, omnium hostis, & in regione barbara* alias vestes conquirere potuisset: Præterea ipsa Slavicorum populorum distantia vanitatem adserti Suriani pandit.

qqqqq) *Nemora enim & feralia lustra linquens, sole adscendente ad meridiem, campestria loca adiit. Ibi fratre Gaudentio missam celebrante S. ille monachus communicavit &c. Vita Canis. c.* 44.

rii rrrrr) septem confossus sssss) vulneribus ad *Fischusium* ttttt) d. 23. Aprilis A. 997. vvvvv) decora-

rrrrr) *Autor Surianus fol.* 838. refert: *Occasionem cædi quendam dedisse, cujus frater a Polonis erat occisus. Is barbarus zelo incitatus venit, & cum illo alii, — ductique pœnitentia, quod eos à se dimisissent, in illos irruunt.* Non equidem in Historicis Polonorum aliqua bellorum, a Prussis contra Polonos ante *Boleslaum I.* gestorum, occurrit memoria; cum tamen vicinia harum gentium perpetuam inter easdem pacem fuisse vix persvadeat, & obscuritas illorum temporum aliquando etiam narrata in dubium vocare jubeat, præterea non expresse bellum aliquod, sed specialis inimicitia vel cædes ad *Surium* explicandum requiratur, etiam hanc circumstantiam non in integrum rejicimus.

sssss) *Siggo* idolorum Sacerdos is, qui primum inflixit vulnus, vocatur *in vita Canis. c.* 45. Notavit quædam respectu denominationis, eandemque ad Sigonotas referri posse, ostendit HARTKNOCHIVS *Disp. ap. Dusburgium* 9. §. 3. *In vita Suriana* modus procedendi describitur *f.* 840. *Primum*, habet, *dux & magister nefariæ cohortis, furore igneus, perforat penetralia cordis. Post — cæteri scelus peragunt.*

ttttt) In *monte* ADALBERTVM coronatum fuisse martyrio testatur *Vita Suriana f.* 839. *Ligatum*, inquit, *ad montis supercilium duxerunt.* Ipse loci situs, & vicinia maris vertigines montium supponunt. Unde etiam, cur a *Surio* abeamus, causa nulla subest. Edocemur autem exinde, cur olim *Sambiæ* locus, ubi nunc *Lochstadium* jacet, *Witlandia* audierit, observante HENNEBERGERO *in explic. tab. chor. voce Lochstet f.* 264. videlicet ab albis et arenosis montium summitatibus. Vim veritati facit BONFINIVS *f.* 200. contendens, *in Livonia* passum esse ADALBERTVM, cum Livoniam istis diebus svaves Evangelii nuncii nondum salutassent. Ne vero solus ad rectam redigatur semitam, socium ipsi dabimus *Autorem Chronici Magdebur-*

coratur ADALBERTVS. Itineris autem Socii
I 2 Gau-

gensis, qui *l. c. fol.* 280. opinatur, *in Polonia* felici martyrio coronatum esse ADALBERTVM; hic venia quadantenus dignus ex illo capite, quod. communi errori, Prussiam Poloniæ olim subjectam fingenti, subscripserit.

vvvvv) Respectu temporis in diversa abeunt autores. Differentiam verbis BOLELVCZKI consignabimus in *c.* 13. §. 17. *p.* 425. 426. adhibitis. *Quis autem*, ait, *D. Pontificis* ADALBERTI *Passionis annus fuerit, inter Scriptores exteros quam domesticos controvertitur.* VRSPERGENSIS, LVPACIVS & CVTHENVS *referunt hoc martyrium ad A.* 994. MARIANVS SCOTVS *ad A.* 995. DALYMILVS *Meerzicensis impressus, & etiam* DVO MSta *Exemplaria*, WELESLAVINA & JOANNES HERBVRTVS *ad A.* 996. (Ultimus *in hist. Polon. compend. L. II. c.* 3. *p.* 27. habet annum 997.) BOREGK *ad* 998. PAPROCZKI *ad A.* 979. Ipse vero *p.* 426. assumit A. 997. Tabulam *Idem c.* 14. § 22. *p.* 517. adducit, A. 1555. ab Imp. FERDINANDO I. fundatam, cui præter alia & hæc inscripta memorat: *Episcopus S.* ADALBERTVS *A. CMXCVI. apud Prutenos, cum Sancto Benedicto, Matthæo, Isaac, Joanne & Christino fratribus martyrio coronatus.* Cui tabulæ si alios defensores Anni 996. jungere cupis, habeas COSMAM PRAGENSEM *ad h. A.* & TRITHEMIVM *in Chron. Monast. Hirsaug. f.* 42. Clar. etiam LENGNICHIVS *P. II. Bibl. Polon. Obs. I.* §. 4. *p.* 94. existimat, ADALBERTVM *coronam martyrii d.* 23. *April* 996. *indeptum esse, cum insignes Historici* (DITMARVS, SAXO CHRONOGRAPHVS *& alii, v. not. c.*) *id confirment.* Non adeo apud nos antiquitatis prævalere amorem, ut ex hoc titulo errores præscriptionis jure gaudere queant, satis jam superius multis locis demonstratum opinamur: Attamen, quod attinet annum martyrii, vix tuto a communi opinione recedi, persvasi sumus. *Primo* etenim SYLVESTER *Vitæ Canisianæ Autor* aliquas circumstantias adfert, quæ non nisi ad A. 997. quadrant. Sic *c.* 33.

Gaudentius & *Christianus* misere ligantur, postea tamen a

adserit: ADALBERTVM *cum Imperatore, regresso ab Italicis oris, Magontiæ bonum tempus mansisse*, & c. 31. jam monuerat, *prius Regem illum apicem attigisse Imperatorium.* De coronatione vero OTTONIS III. dubium nullum est, quin A. 996. peracta fuerit. Si itaque longinquum illud ADALBERTI iter per *Galliam, Germaniam, Poloniamque* bene ponderatur, martyrium ejus ad A. 997. referre oportebit. Nec *secundo* ad stabiliendam hanc sententiam etiam antiquus Autor deerit. Nam DITMARO, Scriptorem ejusdem Seculi LAMBERTVM SCHAFNABVRGENSEM opponimus; cui junge, si libet, *Vitam S. Stephani ab Episcopo* CHARTVITIO *scriptam*, & extantem *in* SVRII *Tom. IV. ad d.* 20. *Aug. ibi fol.* 857. Cum potissimum locus DITMARI objiciatur, de hoc *tertio* obiter notamus, verba, refutationem Anni 997. producentia: *In prima æstate* &c. neque in editione *Reineri Reineccii*, neque *Maderi*, imo nec lacunam eorundem reperiri, primum autem eadem publico obtulisse Ill. LEIBNITIVM. Obiter id observamus, non tamen ipsum textum ideo rejicimus, cum *quarto* tantum absit, ut nobis contrarietur, ut nostram magis confirmet opinionem. Postquam *Ditmarus* recensuerat, OTTONEM a Pontifice unctionem Imperialem percepisse, addit: *In prima æstate* ADALBERTVS *Bohemiorum Episcopus — cuspide perfossus.* Non negamus, Scriptores medii ævi quandoque *vernum tempus* ita nominare, vix tamen assentimur, Historicos, annos in successione non semper exprimentes, cujus Exempla quamplurima *Ditmarus* offert, præsertim cum in tali Autore de tempore subsequenti jam tractatum fuisse connexio doceat, per *primam æstatem* VER intelligere. Historicorum potius stylus nos docet, *insequensem* tunc *annum* esse substituendum, quod etiam verborum qualitas postulare videtur. Hoc enim nemo in dubium vocabit, *primum* sæpissime usurpari pro *sequenti*; *æstatem* vero pro *anno* in ipso DITMARO

a Pruſſis, cum Ethnici Deos ſuos jam placatos crederent, liberi xxxxx) dimittuntur, redeuntque in Poloniam.

legi, patet ex *Lib. VII. p.* 201. ubi *in præcedenti æſtate* &c. Et eadem ratione VELLEIVS PATERCVLVS hac voce jam olim bis uſus eſt, quapropter BVRMANNVS *in indice* ſequentia ad illam vocem notavit: *Poëtis familiare eſt, ita loqui, cum annos deſignare volunt, atque iis pro ratione figura eſt: Hiſtoricum non tam figura quam* [illegible]*, quod æſtate pleraque bella geruntur, quibus nec idonea hyems vulgo cenſetur.* Ex ipſo igitur *Ditmaro* vulgaris de A. 997. opinio roboratur. Optime hanc materiam enucleaſſe exiſtimandum eſt, illos, qui ſupputationem temporum curæ cordique habent. Collatio enim Paſchatis cum die 25. Aprilis, qua in illo anno Paſcha fuiſſe Autores illi ſcribunt, veritatem prodit. Et hinc *quintum* nobis ſubnaſcitur argumentum, quod CALVISIVS *in Op. Chronol. f.* 708. ea fiducia anno 997. adſtipuletur, ut *Coſmam* etiam, contraria ſentientem, ſine ſcrupulo citet. Facile quoque *ſexto* verba tabulæ ſupra adducta rejiciuntur. Vix enim attentione digna eſſe, ſequentia oſtendunt, ubi falſa de martyrio 5. fratrum narratio Scriptoris magis credulitatem quam dijudicandi habilitatem teſtatur. Hæc de anno ſufficiant. Ut de die quædam adjiciamus, *Coſmas* nos movet ſcribens: *Feria ſexta occubuiſſe* ADALBERTVM, *Paſcha autem eo anno VI. Calendas Maji fuiſſe.* Poſterius ita adſtrueret, Martyrium d. VIII. Calend. Maji obtigiſſe, unde BZOVIVS etiam *f.* 607. *b. octavo Calend. Maji* legit. Utrumque brevibus expediemus, opponendo *Bzovio* aliam iſtius vitæ editionem, *Coſmæ* vero ipſum *Coſmam*; in antecedentibus enim expreſſe *IX. Calend Maji* habet.

xxxxx) Quamvis altum de hoc apud Autores ſilentium, facile tamen, cum GAVDENTIVM *Archi-Epiſcopum* poſtea *Gneſnenſem* fuiſſe ſciamus, planiſſima id concluſione elicitur. Addimus etiam, BOLESLAVM horum ſociorum ſvaſu corpus S. ADALBERTI a Pruſſis emiſſe, eoſdemque tam charum pignus

am. Corpus S. Martyris post perpetratam cædem capite truncatur; quod ita exsangve, truculentis percussoribus cruore satiatis, & speluncas suas repetentibus, ne ulteriori violentiæ exponeretur, absconditur, yyyyy) atque tandem BOLESLAO *Polonorum* Duci charum munus offertur, zzzzz)

§. XXV.

---

in Poloniam duxisse. Nam GLABER RADVLPHVS *inter Historicos Francorum Pithœanos in fol. editos Lib. I. hist. c.* 4. *f.* 6. scribit: *Denique Discipuli ejus, accepto corpore Domini sui, illud secum ferentes in propriam sunt reversi patriam. Cujus etiam meritis usque in præsens largiuntur hominibus plurima beneficia. Fuit* is Scriptor Seculi XI.

yyyyy) Humanitas, quæ ab ADAMO BREMENSI *Sambis* tribuitur, vix adeò omnium incolarum animis ejecta fingi poterit, ut nullus innocentis & cruenti martyris curam gessisse videri queat. Herbis illum per quinque dies, quibus latitavit, cum sociis suis pastum non legimus. Merito igitur suspicamur, gratiam Divinam aliquem duntaxat ad sustentationem atque securitatem horum peregrinorum excitasse, amoremque illius mortis atrocitate magis auctum quam diminutum.

zzzzz) Non equidem nænias illas, quæ respectu venditi corporis egregiam pictoribus atque poetis ostentationis materiam subministrant, approbamus, *Boleslaum* tamen titulo emtionis hunc reliquiarum dubium thesaurum Poloniæ adquisivisse, *Autor Chronici Magdeburgensis in Meibomio Tom. II. fol.* 280. sequentibus inculcat: ADELBERTUS *Episcopus — meritis & virtutibus longe lateque effulsit clarus, quorum etiam præconio tactus Imperator* (OTTO III.) *ad illius lumina* (melius: limina) *causâ orationis est profectus, cum imperialibus donis, ubi à* BOLESLAO *Duce magnificè susceptus est, & Gnesin usque perductus, in quâ eodem Duce emente à loco interfectionis pausabat præfati martyris corpus.* Auri argentique contemtus inter Prussos

§. XXV.

Sic Prussi labores primi Apostoli cruentà mercede remunerantur. Memoriam interim sui apud posteros S. Martyr aliquo monumento conservare ipse vivus alloboravit. Eruditorum enim orbis duas ipsi cantilenas aaaaaa) adscribit. Nec defuerunt alii, qui gloriam

BREMENSI notatus hanc emtionem tollere nequit. Scimus enim, emtionem atque venditionem hodiernam antiquioribus fuisse permutationem, & hinc, licet ferrum Prussis datum statuamus, tamen pretium aliquod à BOLESLAO Prussis traditum fuisse certum erit.

aaaaaa) Primam ab Adalberto Lybicii compositam, & post primum ejus reditum in Bohemiâ publice decantari cœptam, narrat BOLELUCZKI *Part. II. p.* 64. Ex eodem autore etiam verba hujus cantici, cum perbreve tantum sit, utroque idiomate, *Bohemico* videlicet & *Latino* hic adjecimus. Bohemicum occurrit *P. I. c.* 10. §. 13. *p.* 269. En illud:

Hospodyne pomylŭg ny:
Jezu Kryste pomylŭg ny.
Tys Spasa wsego mira,
Spasyż ny; y uslysyż
Hospodyne Hlasy nasse;
Dag nam wsem Hospodyne
Zižu, a mir w nasfy Zemi.
Krless, Krless, Krless.

Latinam autem versionem ex *Part. II. p.* 47. sumsimus, quæ ad verbum ita omnia exprimit:

Domine miserere nostri;
Jesu Christe miserere nostri.
Tu Salvator totius mundi,
Salva nos; & exaudi
Domine voces nostras;
Da nobis omnibus, Domine
Saturitatem & pacem in terrâ.
Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Alterum canticum, quod incipit: Bogarodzycza Dzyewycza Bogcem Slawyona Maria; à LASCIO ad frontem *Privilegii Constitutionum &c.* ejusque Regestri exhibetur. *Idem* opinatur, *à Polonis illud ante conferenda cum hostibus certamina dictum* fuisse. JANUSZOVIUS *in Statutis Re-*

am Sancti viri his cancellis nimis arctè circumscribi existimantes, sacris ædificiis, bbbbbb) peregrinationibus

gni *Pol.* à se editis ad genium Seculi dictiones emendavit, canticumque ipsi operi præfixit. Quamplurimi nullatenus dubitant, quin *Adalbertus* utriusque cantici verus sit Autor, præstabit tamen ut cum PRÆTORIO ex *Actis Boruss. Tom. II. P.* 7. *no.* 2. *p.* 74. pronunciemus: Dicitur ADALBERTUM *hanc cantilenam concinnasse.*

bbbbbb) In diversis regionibus hæc in honorem S. Adalberti extructa reperimus. Ut initium faciamus itaque de *Italia* memorandum erit, quod OTTO III. post finitam ad tumbam hujus Martyris peregrinationem *Romam* rediens sacras reliquias ejusdem secum detulerit, quibus, ubi collocarentur, *erigendam curavit Ecclesiam in insula Tyberina*, teste BARONIO *ad A.* 1000. *no.* 5. Causam, cur postea nomen Sancti Prussici hæc Ecclesia amiserit, idem habet *l. c. no.* 8. his verbis: *Factum est autem, ut illatione corporis* S. BARTHOLOMÆI *in Ecclesiam sub titulo* ADALBERTI Martyris *inchoatam, transierit ipsa in nomen & cultum ejusdem Apostoli* BARTHOLOMÆI, *memoriaque* ADALBERTI *hoc modo fuerit paulatim oblivione deleta.* conf. etiam *Tom. XI. Annal. Eccl. ad Annum* 1001. *no.* 16. Sic noster cedebat majori. PETRUS quoque DAMIANI *in vita* S. ROMUALDI apud SURIUM *Tom. III. ad d.* 19. *Junii fol.* 717. aliqua de *Monasterio in honorem S. Adalberti ab Ottone in Pereo svasu Romualdi extructo* profert. In *Poloniâ* gloria tanti athletæ stetit inconcussa. Hic enim *Cracovia*, referente DLUGOSSO *L. II. col.* 117. & MIECHOVIO *L. II. c.* 8. *f.* 31. &c.; *Gnesna*, adstruente DAMALEVICIO *in Ser. Archi-Ep. Gnesn. p.* 256. 264. 271.; *Andrejovia*; adfirmante *Eodem l. c. p.* 132. *Calisia*, iterum isto Autore dicente *l. c. p.* 329.; *Vladislavia*, scribente ipso *in Vit. Episc. Vladisl. p.* 41. ædibus memoriæ hujus Martyris sacris clarent. A Polonis ad *Bohemos* abimus. Hi, licet viventis monitis præ-

nibus cccccc) ad eadem institutis, imo nu- K mifma-

fracte resisterent, post mortem tamen ejus laudi aliqua pia conecrarunt monumenta. Nam *Sbitigneus diruto sacello utroque, quorum alterum D. Vito, alterum D. Adalberto consecratum fuerat, aream longe ampliorem mensus, omnibus tribus* (juncto S. Venceslao) *in illa unum satis magnificum superstruxit templum* (Pragæ), consignante DVBRAVIO *Lib. VIII. f.* 68. Huic adde BOLELVCZKI *c.* 14. §. 13. 14. & 21. Idem posterior etiam mentionem facit *capellæ S. Adalberti prope Civitatem Milaveczjum c.* 10. §. 4. nec non *alius sitæ post pagum Wrtzenam, cit. l.* atque *lapidis hic asservati*, in quo jacuisse Adalbertum, & jacentis signa lapidi impressa fuisse adjicit. *Silesia* in conservanda gloria tanti Apostoli noluit esse otiosa, quod verba WAISSELII *de templo S. Adalberti Vratislaviensi p.* 84. *a.* probant; dilucidationem eorum invenies in Hennebergeri explic. tab. chor. f. 269. 270. adde DANIELEM GOMOLCKI, qui *in Memorabilibus Silesiæ Part. I. p.* 126 recenset, hoc Monasterium circa Annum 1134. à Principe Poloniæ *Vladislao* fundatum fuisse, ejusque descriptionem compendiosam subnectit. Nec *Hungaria* memoriam prætensi Apostoli intra fines suos amplificandam & stabiliendam neglexit. *Stephanus* certe *Pannoniæ Rex in arce sua regia primus ei templum constituit, addiditque templo Pontificem — Anastasium* referente DVBRAVIO *L. VI. f.* 47. Nec apud *Pomeranos* laus S. ADALBERTI obmutuit. *Otto* enim illorum Apostolus ADALBERTO hic mausolæum erexit. *Stetini* scilicet, *in medio fori, ubi prius idolum Triglaff dictum incolæ adorabant, templum in honorem S. Adalberti ut ædificaretur, effecit.* Ast non diu hoc monumentum extitit, cum post breve spatium illud dirutum testetur CRAMERVS *Lib. I. Chron. Pom. Eccles. c.* 24. *f.* 40. Corrigendus ex isto autore erit DAMALEVICI-

VS in *Ser. Archi-Ep. Gnesn. p.* 64. scribens, *Julinæ illud templum fuisse exstructum.* In *Germania* quoque *Aquisgrani cœpit Otto III. Imp., consummavit autem Henricus II. Imp. templum* in honorem S. Martyris ADALBERTI *adjecto Canonicorum Collegio, ut ex tabulis fundationis patet*; verbis refero LEONIS *Lib. I. Hist. Pruss. f.* 45. Indignum fuisset, si Prussorum posteri illius non parentassent manibus ædium sacrarum erectione, cujus sangvinem Majores crudelissime effuderant. In *Prussia* itaq; duo quoq; templa notanda. Alterum horum in *Sambia* olim fuit, cujus rudera adhuc conspiciuntur. HARTKNOCHIVS in Catalogo suo Episcoporum Sambiensium, quem *Hennebergero* debet, de hoc templo memorat, quod Joannes I., quartus Sambiæ Episcopus illud condiderit. *Leo Lib. II. f.* 117. addit: *Eundem ope Eleemosynisque eorum Principum, qui in Prussiam venerant, ut in Samogitiam proficiscerentur, & ob tempestates illic perseverare non poterant, Ecclesiam in loco S. Adalberti occisi ædificasse.* Forsitan pius ille Infulatus satisfaciendum esse credidit promisso à Prussis respectu harum ædium olim in *Privilegio Culmensi* A. 1249. dato, nondum autem præstito. Reliquiæ divini ibi peracti cultus sc. indusia, candelabra, calix atque particula altaris in Præfectura Lochstadiensi hodienum asservantur. Alterum templum *prope Gedanum* habemus. Laudi sibi duxerunt, conservare memoriam ejus in sua vicinia, quem debita humanitate peregrinum exceperant, cujus etiam monitis primitias & fundamenta Religionis Christianæ debebant. Templum igitur atque Sacellum S. ADALBERTO dedicabant. Ratione templi adscribemus inscriptionem exteriori ædificii parieti illinitam: *Templum hoc combustum A.* 1530. *primo reparatum circa A.* 1588. *successu temporum dedicatum, denuo reparatum A.* 1725. Non frustra verba ista nos adduxisse quilibet cognoscet, dummodo dixerimus, HENNEBERGERVM illis contrariari. Hic enim *in Expl. tab. chor. f.* 20. ex *Chronico f. Manuali Dantiscanorum* refert: *A.* 1537. *Vigilia S. Bernhardi Templum, Curiam Parochi, Scholamque conflagrasse.* Et adstipulatur eidem GEORG. TIDEMANNVS *in Chron. Prussiæ MSto.* Præterea HENNEBER-

GERVS *c. l.* innuit, *restitutum fuisse A.* 1575. Veritatem rei, ne prolixiores simus, in suspenso relinquimus, & ut materiam de ædibus sacris finiamus, addimus tantum, *Regiomontanam* Pontificiam Ecclesiam hunc Adalbertum suum etiam cognoscere Patronum. conf. PRUSS. ILLUST. *Tom. I. P.* 9. *Obs.* 32. *p.* 680. 681.

cccccc) A tot tantisque Autoribus peregrinatio OTTONIS RUFI, ad sepulchrum D. ADALBERTI instituta, celebratur, ut de ea dubitare imo saltem eam ignorare contra instituta tyronis historici foret. Causam tamen ejusdem non omnes uno referunt ore: Aliis enim *liberatio Imperatoris à gravi morbo*, aliis *Imperatrix ob adulterium tentatum, & delationem atque cædem innocentis Comitis combusta* huic itineri Sancto ansam dedisse videntur. Verum arundineo nituntur fulcro, cum quædam circumstantiæ contradicant. Nobis, ut aliam amplecteremur opinionem, BARONIUS svasit, qui *Tom. X. ad A.* 996. *no.* 30. ex PETRO DAMIANI refert: *Crescentium perjurio Thammi Teutonici cujusdam, qui Regi* OTTONI *familiaris erat, in hujus pervenisse potestatem, & contra promissum juramento firmatum credulitatem capite luisse,* OTTONEM *vero isti perjurio ansam dedisse. Idem no.* 31. ex cit. Autore addit, *pœnituisse hujus facti Ottonem, & istam pœnitentiam eò adegisse Imperatorem, ut promiserit* B. ROMUALDO, *quod imperio relicto monachicum suscepturus sit habitum.* LEONEM quoque OSTIENSEM testem adducit, atque *ad A.* 999. *no.* 10. & *Tom. XI. ad A.* 1001. §. 12 — 14. contritionis continuationem memorat. Auditis igitur sic dictis miraculis ad sepulchrum D. ADALBERTI factis, probabile est, Imperatorem morsus conscientiæ sanaturum Gnesnam venisse, hac ratione autem mortem Crescentii occasionem huic peregrinationi dedisse. DITMARI verba, quibus adventum Imperaroris ad Urbem Gnesnam describit, licet generalia aliis videri possent, tamen nostræ sententiæ quasi accommodata ita leguntur *Lib. IV. p.* 83. 84. *Videns à longè Urbem desideratam, nudis pedibus suppliciter advenit, — in Ecclesiam introducitur, & ad* CHRISTI *gratiam sibi impetrandam martyris intercessio profusis lachrymis invitatur.* Sed transea-

mus ab hac multorum fabulis inquinata peregrinatione ad aliam, à generali videlicet ad specialiorem, quam olim *in Sambia* fieri consvevisse Scriptores observant. Hanc paulò post finitam templi Sambiensis ædificationem primordia cepisse sine difficultate credimus, cum cultus Sanctorum jam iis temporibus mentes hominum occupaverat. Quovis anno institutam certi sumus. HARTKNOCHIVS equidem *Lib. I. H. E. c.* 4. §. 4. *p.* 193. taxat CLAGIVM, quod MISLENTAE scribenti, *Magistrum Ordinis Teutonicorum generalem cum Episcopis circa Festum Michaelis ad illud templum processionem sic dictam instituisse*, bonâ fide crediderit. Ast licet, à Magistro atque Episcopis quovis anno id factum, ipsi etiam silentio chronicorum moti dubitemus, ab aliis tamen processionem illam s. peregrinationem quotannis institutam fuisse, nos docent verba RVNOVII *in historia belli prus. tredecennalis circa fin. anni Xmi*, exhibita, quæ germanico idiomate offerimus: den 25. Sept. schifften die Elbinger auf Samlandt, und ländeten an zu Camstgallen, einem Fischer-Dorffe, und gingen in stiller Nacht zu S. Albrechts Kirchen, (liegt zwischen Lochstetten und Fischhausen) da desselben Tages gewöhnliche Kirchweyhe jährlichen Gebrauch nach solte gehalten werden. LEO *Lib. VI f.* 302. idem Elbingensium factum habet, quæ vero de *annua* processione ibi occurrunt, tacet; Cautè interea hic legendus erit, cum facilè ex verbis ejus quis induci posset ad credendum, eo tempore prius dedicatam fuisse Ecclesiam S. Alberti. Ut reliqua annua solemnia tangamus, cognatio materiæ svadet. Paucos itaque latebit, circa Festum S. Adalberti quotannis haud procul ab urbe nostrâ processionem à Sacello ad ipsum S. Adalberti templum institui. Easdem processiones in Polonia celebrari, genius Religionis cuivis inculcabit, cum nundinæ etiam apud Gnesnenses ista die habeantur. Sic CVRAEVS *Annal. Siles. fol.* 34. vult: *Dies mortis ejus, qui est d.* 23. *Aprilis, toti Poloniæ est festus, præcipue vero Gnesnensibus, ubi celebres tunc sunt nundinæ.*

dddddd) Duo Clar. Dn. SEYLERVS adduxit in *Illustr. Pruss. Tom. II. Obs.* 3. *primum Polonicum* ex RZĄCZYNSKI *Histor*

mismate cuso dddddd) famam Sancti eeeeee) & Patroni ampliare annisi sunt.

natur. curios. Polon. p. 149.; *secundum Silesiacum* ex *Dewerdeckii Silesia Numismat. L. II. c.* 3. §. 265. (lege §. 3. p. 265 — 268.) illudq; *Boleslao I. Polono*, hoc vero *Boleslao Silesio* tribuendum esse ostendit, & *Dewerdeckium* ratione Boleslai Poloni non satis cautum fuisse probe observavit. Addimus emendandum etiam esse ratione diei emortualis Adalberti, quem *d.* 21. *Aprilis* ex CVRAEO ponit.

eeeeee) Sanctum hunc multa volumina exhibent, ast quomodo Sanctus haberi cœperit, altum ubique Silentium. Unicus DVBRAVIVS *L. VI. f.* 47. peregrinationem Ottonis III. id effecisse credit, ut *inde passim apud cæteros quoque Germanos Adalbertus inter Divos haberi cœptus sit.* Canonisationem Sanctorum (verbo minus latino ab Ecclesia Latina introducto utimur) velut institutum temporum posteriorum habet Historia Ecclesiastica, ubi tamen de nostro Sancto & de Brunone, quem in sequentibus sistimus, in seriem Sanctorum relato nihil habetur. Hoc igitur illustrare, nodumque solvere annitemur. BARONIVS optime nobis inservire poterit *Tom. X. ad annum* 693. *no.* 8. scribens: *Non est autem prætermittendum, canonizationis Sanctorum usum hoc tempore in Ecclesia frequentem reperiri. Nam* PETRVS DAMIANI in Epistola ad Henricum Ravennatem (*Ep.* 16. *ca.* 29.) *hæc habet de pluribus, qui tunc floruere, Sanctis Episcopis: Nostra quippe ætate Beati Viri, videlicet Romualdus Camoricensis, Amicus Ratisbonensis, Gvido Pomposianus, Firmanus Firmensis, & quamplures alii sanctæ conversationis studio floruerunt, super quorum videlicet veneranda cadavera ex sacerdotalis Concilii autoritate sacra sunt altaria erecta, ubi nimirum Divina Ministeria miraculis exigentibus offeruntur. Et paulo post meminit de Beato* ARDVINO *Presbytero, his temporibus miraculis claro. Concedere autem licentiam ex Synodali decreto, ut supra corpus defuncti erigeretur altare, hoc ipsum erat inter Sanctos annumerare, ut*

§. XXVI.

Fundamenta itaque Religionis Chriſtianæ in Pruſſia ſangvine S. ADALBERTI Martyris tincta madebant. Tantum tamen abeſt, ut hoc cruore aut ipſa

anniverſaria memoria de eis agi poſſet, quod idem narrat de S. Romualdo Ravennate in fine vitæ ipſius. Hæc BARONIVS. Addit tamen quædam de ROMVALDO *Tom. XI. ad annum* 1027. *no.* 13. quæ melioris explicationis gratiâ adjicimus: *Conſtat autem ipſum* (Romualdum) *in Sanctorum numerum adſcriptum quinquennio poſt ejus obitum, eo tantum ritu, qui tunc erat iu uſu, nempe ut petentibus concederet Apoſtolica Sedes ſuper corpus ejus altare conſtituere, ut* PETRVS (DAMIANI *in Romualdo c.* 79. *ap.* SVRIVM *Tom. III. d.* 19. *Junii*) *affirmat, dum ait: Poſt quinquennium vero à Sancti viri obitu data Monachis ab Apoſtolica Sede licentia, ut ſuper venerabile corpus ejus altare conſtrueretur.* Ex hactenus citatis optime eluceſcit, qua ratione ADALBERTVS inter Sanctos haberi cœperit, nimirum altari ſuper corpus ejus erecto, & miraculis, quæ iſtis temporibus ubivis atque in cumulo exiſtebant, altaris honorem exigentibus. Quod etiam confirmat BZOVIVS circa finem *f.* 607. *b.* ſcribens: *Ejus* (ADALBERTI) *Diſcipuli venientes cum multis Chriſtianis abſtulerunt corpus ejus, & conjungentes caput corpori honorifice ſepelierunt, & dignam Eccleſiam nomine ejus conſtruxerunt, ubi merita & virtutes ejus exuberant uſque ad hodiernum diem.* Supereſt, ut ex verbis BARONII illud animadvertamus, quod eadem ad illuſtrationem not. cccccc. faciant. Quando enim ait: *hoc ipſum erat inter Sanctos annumerare, ut anniverſaria memoria de eis agi poſſet,* non inſolitum nobis videbitur, quod RVNOVIVS notavit. Addimus etiam ex Martyrologio citati BARONII, quod *dies translationis* ADALBERTI *agatur tertio decimo Kal. Novembr.* Hactenus de ADALBERTO, tranſimus ad ſecundum Martyrem.

ipsa conversionis difficultas tolleretur, aut difficultas illa atque vestigiorum horror alios, ne tam periculoso operi manus admoverent, deterreret, ut novum potius Martyrem Martyris illius genuerit cædes. Priorem dederat Bohemia, hunc Germania obtulit. Ille Adalbertus, hic Bruno ffffff) audiebat. Vitam gggggg) ejusdem, ut meliorem primorum Christianismi

ffffff) BRVNONIS nomen in Familia *Querfordensi* erat quasi hæreditarium. Cujus rei exempla, cum Genealogis ignota esse nequeant, omittimus, & tantum quæ nostrum concernunt monemus. SPANGENBERGIVS *L. IV. Chron. Querford. c.* 79. *p.* 472 — 479. in Genealogia hujus Familiæ duodecim isto nomine insignitos adducit, inter quos Martyr tertium ordinem occupat.

gggggg) Parum notitiæ, vitæ huic illustrandæ inservientis nobis conservavit antiquitas. Parca & pauca sunt, quæ DITMARVS *contemporalis & conscholasticus* ejus, his verbis utitur *Lib. VI. p.* 177., notavit, pauciora adhuc, quæ MARIANVS SCOTVS, ejusdem Seculi Scriptor consignavit ad annum 1008. Maxime prolixus in vita *Brunonis* describenda hactenus fuit SPANGENBERGIVS *Lib. II. Chron. Querfurt.* Isti enim labori *caput* 8. 10. *&* 11. donavit, quibus vitam, vitæque illustrationem exhibet. Idem postea Spangenbergii labor *Anonymo* cuidam (quem *Davidem Sigum*, BVTTNERVM, *Diaconum Querfurtensem* esse, industria atque Humanitas *Experient. Dni Christ. Sig.* RICHTERI D. Med. Fautoris devenerandi nobis detexit, & postmodum novissima Editio *Lexici Eruditorum Tom. I.* confirmavit) materiam substravit edendi 1714. *Brunonem Apostolum.* Verum tractatus iste stricturam tantum, atque religiosam censuram Vitæ Brunonis continet, & non historico, sed theologico stylo conscriptus est. Nihilominus dignum eum judicavit *Doctiss.* LILIENTHALIVS per compendium recen-

nisini in Prussia Autorum notitiam habeamus, sequentia dabunt:

§. XXVII.

BRVNO hic ex illustri Dominorum Querfordensium erat Familia. hhhhhh) Patrem BRVNONEM II. Matrem IDAM iiiiii) agnoscebat, à quibus

sere in *Prussia illustrata*, ubi *Tom. I. observationem* 38: & *Tom. II. obs.* 9. conficit. Præter istos *Chronicon* etiam *Magdeburgense fol.* 275. meminit *Libri gestorum S. Brunonis*, quem tamen adhuc superstitem esse merito dubitamus. Nos ex DITMARO, SPANGENBERGIO, ipsisque ævi circumstantiis veritatem nexus eruere annisi sumus.

hhhhhh) LANGIVS *in Chron. Citiz. fol.* 761. eum *genitum illustri prosapia Baronum de Qverfurt* scribit. Ex historia Prussiæ observamus, decimum tertium Magistrum Provincialem *Menkonem de Qvereworde* fuisse. v. DVSBVRGIVS *P. III. c.* 127. Vocatur idem etiam *Meinhardus*, *Mennecke*, & *Moyniko*.

iiiiii) Sic DITMARVS *l. c.* Sic etiam *Chronicon Magdeburgense d. l. f.* 279. utrumque parentem nominat. Prior quoque *p.* 187. de patre addit: *illum longè post* (martyrium filii) *infirmatum præcepto filii monachicum suscepisse habitum, & XIV. Cal. Nov. in pace quievisse.* Vitam ejus exhibet SPANGENBERGIVS *L. II. c.* 7. Martyrem igitur nostrum his parentibus natum esse, communis consensus dubitare non sinit. Ast ipsum nativitatis tempus nemo hactenus determinare ausus est. Experiamur ergò, quantum in hac incertitudine divinari datum sit. DITMARVS suam ætatem nos docet *L. III. p.* 49. ubi A. 976. 8. Cal. Aug. se natum profitetur. Idem autem BRVNONEM *conscholasticum suum* nominat, uti jam semel allegavimus. Ne tamen iterata relatio nauseam excitet, nunc hoc addimus, quod MEIBOMIVS *in chron. Monast. Berg. Tom. III. rer. germ. f.* 294. hoc consortium ad Cœnobium

quibus liberaliter educatus, studiis tandem consecratur. Consvetudo chrismatis BONIFACII kkkkkk)

Bergense omni studio referre conetur. Concludimus itaque, *Brunonem* ætate fere *Ditmaro* fuisse parem. Cum etiam ex *Ditmaro* discamus, patrem *Brunonis* post martyrium filii adhuc in vivis fuisse, ætas filii non nimium provehenda erit, ut patris quodammodo probabilem reddat ætatem. Obstat tamen, ut credamus, eundem annum, qui *Ditmari* natalis fuit, ad *Brunonem* posse applicari, quia jam *A.* 996. *Capellæ præfectus* nonnullis dicitur, & hanc dignitatem *prius Canonicatus* antecesserat, præterea quoque accedit, (id evicturi sumus in sequentibus) quod Pontifex Max. circa A. 1003. Archi-Episcopali, verùm inter gentiles, munere eundem oneraverit. Quæ si non sufficiunt, decernat tandem LANGIVS *in Chron. Citiz. d. l.* scribens: BRVNONEM *educatum in Monasterio Magdeburgensi sub Adalberti cura, & Magisterio Archi Episcopi supra dicti crevisse in religionis probatissimæ & eximiæ virum sanctimoniæ.* Hic autem *Adalbertus* moriebatur A. 983. v. not. aaa. & ita cura ejusdem nondum prodesse aliquid poterat *Brunoni*, si vel A. 976., vel post eundem natus fuisset. Non etiam opus erit, ut ultra A. 973. excurramus, cum in hoc anno omnia requisita admitti & explicari queant. Sic enim patris ætas probè conspirabit; Sic ætas in Episcopo requisita, de qua supra not. oo., locum habebit; Sic etiam *Ditmari* manebit conscholasticus & contemporalis.

kkkkkk) Cum *Adalbertum* nonnulli fœde cum aliis confuderunt, v. not. aaa., mirum non erit, differentiam & augmentum nominum quoad hunc *Brunonem* etiam aliquos seduxisse, ut alium sibi fingerent *Brunonem*, alium *Bonifacium*. *Petrus* DAMIANI confusione Russorum atque Prussorum *Baronio*, BARONIVS autem *Hartknochio* erroris largitus est materiam. Primus *in vita Romualdi*, secundus *ad A.* 996. *no.* 32. 33. & *ad A.* 997. *no.* 3. 4. Tertius *L. I. H. E. c.* 1. §. 12. opinio-

eum nomine insigniebat, Patris autem cura interea animi ornamento providebat. GIDDONI itaque Philosopho llllll) hic BRUNO s. *Bonifacius* erudiendus traditur, & Magdeburgi scientiis ad genium illius seculi mens ejusdem alitur.

§. XXVIII.

Præparatus ita ad capessendas dignitates Ecclesiasticas adipiscitur Canonicatum, mmmmmm) Diu tamen intra hos limites, necessitudo BRUNONI cum illustribus nnnnnn) illius seculi Viris intercedens, Ca-

nem suam habet. Sustulit eundem errorem Clar. Dn. LENGNICHIUS *in tractatione Tom IV. hist. pruss. præfixa* §. 1. *not.* * & ex testimoniis Annalistæ atque Chronographi Saxonis falsitatem distinctionis ostendit. Jungimus illis *Chronici Magdeburgensis Autorem f.* 275.

llllll) *Giddo iste ex Magistro Scholæ custos Ecclesiæ, tandem vero Parthenopolitanæ Congregationis Præpositus factus*, referente DITMARO *Lib. VII. p.* 205.

mmmmmm) SPANGENBERGIUS *L. II. c.* 8. *p.* 323. innuit, *Ottonem* ipsi Canonicatum mox post institutum Magdeburgensem Archi Episcopatum contulisse. Hiatum committeremus, si ipsis initiis fundationis tribueremus id, quod post duplex fere decennium ponendum est. Existimamus enim Anno circiter 988. Brunonem Canonicum factum, ut ea ratione ætas ad minores dignitates requisita nobis non deficiat, vel ne ab aliis objici queat. Ipsam vero dignitatem Brunoni fuisse collatam testis erit *Autor Chronici Magdeb. f.* 284. *S. Mauritii in Magdeburg Canonicum* eum appellitans.

nnnnnn) Hanc necessitudinem PETRUS DAMIANI, citatus à BARONIO *ad annum* 996. *no.* 33. probet, BRUNONEM *in vita S. Romualdi* vocans *Regis Consangvineum, & ita charum, ut Rex* (OTTO III.)

Canonicum nostrum non continebat. Præfectus enim Capellæ oooooo) Regiæ eligebatur, & hoc munere ornatus OTTONEM III. *Imp.* & BRVNONEM, pppppp) postea Pontificem in Italiam qqqqqq) comes

L 2 seque-

illum non alio vocaret nomine, nisi anima mea. Ipse DITMARVS Episcopus Martisburgensis *p.* 177. BRVNONEM II. patrem Martyris, *amicum sibi consangvinitate* nominat.

oooooo) *In modulationis musicæ studiis maxime approbatum* BRVNONEM, *atque in Capella Regia fuisse moratum*, *Petrus* DAMIANI *l. c.* scribit. *Capellani* tales dicebantur, quos Imperatores plerumque sibi ex numero Virorum facundia & Eruditione præstantium adsciscebant, & his aditus ad majora, videlicet Episcopatus, Abbatias opulentas aliasque dignitates Ecclesiasticas primis patebat. Ejus jam supra nobis Exemplum exhibuit Otricus in not. ddd. Non exiguum igitur hunc *Brunonis* honorem fuisse, quilibet perspiciet. Ratione temporis, quo illud munus obtinuisse dicitur, quædam monebimus. Male enim SPANGENBERGIVS *l. c. p.* 127. ad annum 1004. nec ad OTTONEM III. sed ad HENRICVM *Regem*, imo post reditum *Brunonis* hanc dignitatis collationem refert, cum ad antecedentia tempora, & ad annum 996. vel 995 rejicienda sit, de quo plura not. rrrrrr.

pppppp) Ascendens hic solium Papale ex gratia OTTONIS III. GREGORII V. nomen induit. Sanguinis nexum hanc ipsi dignitatem adquisivisse certum; Erat enim pronepos OTTONIS M. ex *Edita* prima ejus conjuge, quæ A. 947. diem obibat supremum. conf. *Ditmarus L. II p.* 19. & *L. IV. p.* 79.

qqqqqq) Forsitan hoc iter, & quæ in *Chron. Magdeb.* occurrunt, *Brunonem* videlicet *in Italia monachicam egisse vitam*, TRITHEMIUM seduxerunt, ut contra omnem veritatem, & reliquorum historicorum assertum, eum *natione Italum* fuisse scribat *tr. de Scriptor. Ecclesiast. P. I. Opp. fol.* 265. Querfordiam enim

ſequebatur, ubi exemplo *S. Bonifacii* Martyris incitatus ordinem *S. Benedicti*, ejusque Regulas amplectebatur.

§. XXIX.

In hoc ordine auſteram atque ſolitariam ssssss) vitam

ejus patriam eſſe, communis confirmat conſenſus.

rrrrrr) Si *Spangenbergio* credimus, ſtatim poſt depoſitum Canonicatum vitam elegit Monaſticam, atque inſtitutum ſecutus eſt *S. Benedicti*. Verum cum *Spangenbergius* non ubivis juſtum obſervet ordinem, merito in hoc, aliis Scriptoribus contrarium ſvadentibus, ab eodem abimus. Hi enim poſt Canonici munus alia dignitate Brunonem fuiſſe ornatum, & tum demum communi hominum conſortio valedixiſſe obſervant. *Autor Chronici Magdeburgenſis*, licet non omnia ſufficienter exprimat, tamen hanc opinionem *l. c. f.* 284. fulcit. Sic loquitur: *Conſecraverat Epiſcopum* — BRVNONEM, *cognomento* BONIFACIVM, *prius quidem — Canonicum, poſtea vero in palatio regio adſumtum, ſed fugientem cum deliciis ſuis ſeculum, ut ſibi lucrifaceret* CHRISTVM, *ſicque apud Italiæ eremum cum beatis ſociis* BENEDICTO *atque* JOANNE *in monachica religione perfectiſſime converſatum.* Clarius adhuc eadem tractat *Petrus* DAMIANI *l. c.* ubi: *Is itaque*, inquit, (BONIFACIVS) *cum in capella regia moraretur, videns Eccleſiam antiqui martyris* BONIFACII, *quæ eſt Romæ in Aventino, mox Exemplo ſui æquivoci ad martyrii deſiderium provocatus ait: Cur ego etiam ipſe Martyr eſſe non debeo? Poſt hæc igitur monachus factus.* Non diu Capellani munus obiiſſe, & forſitan jam A. 996. cucullum arripuiſſe *Brunonem* exiſtimamus; quia fruſtra alias favorem OTTONIS conciliaveris cum eo, quod dilectum Capellanum poſt abitum ſuum ex Italia Romæ reliquerit.

ssssss) *Chronicon* namque *Magdeb fol. cit.* refert: BRVNONEM *apud Italiæ eremum in mo-*

vitam elegit, ac ita ſeſe dignum martyrii Candidatum reddidit. Tandem ſolitudine relicta Sedem adiit Apoſtolicam, & ibi a Pontifice Max. tttttt) Archi-

 Epi-

nachica religione perfectiſſime converſatum *Petrus* vero DAMIANI temperantiam ejus atque carnis caſtigationem depradicat. Quæ DITMARUS *p.* 178. ita generaliter ponit ; *ſolitariam quæſivit vitam.* SPANGENBERGIUS hic piſce mutior. Hinc oportebit, ut revertamur ad *Petrum* DAMIANI, & DITMARUM, atque ex iisdem tempus ſolitariæ vitæ impenſum quadantenus addiſcamus. PETRUS dicit diuturnum fuiſſe eremiticæ diſciplinæ curſum; poterit is illuſtrari per *Ditmarum*, qui narrat, BRUNONEM *duodecimo converſionis ac inclytæ converſationis anno ad Pruſſiam perrexiſſe.* Hæc nobis verba eò magis perſvadebunt, A. 996. jam *Brunonem* monachum factum. vid not. rrrrrr.

tttttt) BARONIUS hanc conſecrationem ad annum 997. refert. Et BZOVIUS, qui, ne diſſentire à *Baronio* videatur, etiam errores ejusdem diſtingvendo *Brunonem* a *Bonifacio*, ſequitur, *in Sylveſtro II. Tom XX. Annal. f* 586. *b.* ſcribit: BONIFACIUM *deſignatum in Pruſſiam a* GERBERTO *jam Archi Epiſcopo &* ROMUALDO *Abbate, a* GREGORIO *autem Pontifice Archi-Epiſcopum Prutenorum in Sarmatia Europæa deſtinatum. Chronicon Magdeburgenſe* actum conſecrationis DAGENONI Archi-Epiſcopo Magdeburgenſi tribuit *f* 284. quod etiam DITMARUS *c. l.* facit. Ipſa ætas autorum momentum deciſionis poſterioribus adjudicabit. Quapropter etiam contra *Baronium* ſtatuimus, A. 1006. ſolemnia illa peracta fuiſſe, nec *Gregorio V.* ſed *Sylveſtro II.* illum actum tuto aſſignari poſſe. *Ille* enim per biennium tantum, & aliquot menſes Cathedram Petri occupavit, & mortuus eſt A. 999. teſte SCOTO. *Dageno* autem A. 1003. referente ipſo BARONIO, & Langio, item DITMARO Archi-Epiſcopus electus, unde Succeſſori GREGORII V. id opus tribuendum erit.

Episcopus gentilium consecrandus, mittitur ad *Dagenonem* Archi-Episcopum Magdeburgensem. Huic muneri satisfacturus, Prussos, quorum manus adhuc cruore S. ADALBERTI madebant, convertendos sibi sumsit, nec operam omnem lusit, nonnullis eorum ad veram fidem ductis vvvvvv) & fœderi gratiæ adscriptis.

§. XXX.

Cum etiam ipse *Sylvester II.*, iterum indicante *Mariano Scoto*, & *Baronio*, A. 1003. è vivis excesserit, ultra hunc annum progredi tibi non licebit. *Petri* DAMIANI locus allegatus *Baronium* tueri non poterit, quoniam generaliter tantum Sedis Apostolicæ, non vero speciatim alicujus meminit Pontificis. SPANGENBERGIVS merito itaque, qui *p.* 124. etiam ratione Ponticis errat, cum *Baronio* & *Bzovio* emendatione dignus erit. Non tacendum, idem jam de male introducto Gregorio observasse BVTTNERVM *in Brunone Apostolo c.* 4. §. 5. Cum vero alium correctionis fontem, politicas nimirum Italorum artes, non autem historiam adhibeat; præterea *Sylvestro II.* Pontificatum adeunti consecrationem tribuat, quod admitti non posse jam ostendimus, hanc materiam magis obfuscavit, quam illustravit.

vvvvvv) Quæ SPANGENBERGIVS *l. c. p.* 125. scribit, OTTONEM III. *Imp. suasu & consilio hujus* BRVNONIS, *peregrinationem ad sepulchrum* ADALBERTI *instituisse*, speciose quidem ast sine fundamento posita sunt. Capellani enim munere functus est ante martyrium S. *Adalberti*, idemque jam A. 996., v. not. rrrrrr., deposuit, & vitam eremiticam, hancque diuturnam elegit. Ut Capellanus igitur hoc consilium non dedit; ut Eremita cum Ottone quando collocutus fuerit, male determinari potest: rectius itaque hoc bonum opus aliis relinquitur. Nihilominus, ut prius adsertum *Spangenbergius* roboraret, duplex BRVNONIS in Prussiam iter fingendum ratus est. Primum institutum ait A. 999. comitibus

§. XXX.

Finis tamen atque eventus optimo non respondebat

Joanne & *Benedicto* monachis ordinis *S. Benedicti p.* 125., addit venisse in Prussiam verno Anni 1000. tempore, & ibi per triennium commoratum esse, p. 126.; denique p. 127. reditum ejus habet, illique finem Anni 1003. adsignat. Cui narrationi hoc subjungit, quod initio anni 1004. interfuerit Comitiis Martisburgensibus, ibi Capellanatum suasu HENRICI *Imp.* susceperit, negotiumque conversionis Prutenicæ ipsi commendaverit. p. 128. secundum iter describit referens, BRVNONEM ad hoc instituendum cura Neophitorum excitatum fuisse, illud etiam omni omine spreto confecisse; nullum tamen annum determinat. Multis difficultatibus has *Brunonis* commigrationes laborare luscus videt. Primo enim obstat silentium *Ditmari*, *Petri Damiani* atq; *Chronici Magdeburgensis*, Scriptorum partim coævorum, partim *Spangenbergio* antiquiorum. *Secundo* ipsæ falsæ circumstantiæ à *Spangenbergio* narrationi insertæ integrum textum falsitatis convincunt. Male enim Capellanatum, quem jam alii tempori not. oooooo. assignavimus, post reditum *Brunonis* ex Prussia locat, & ad tempora *Henrici II. Imp.* rejicit p. 127. Et quæ de secundi itineris comite *Bonifacio* refert, manifeste ex communi errore distinctionis binorum nominum fluxerunt. *Tertio* DITMARVS etiam *Spangenbergium*, non ut prius silentio, sed verbis refutat. Audi eundem. Postquam consecrationis meminerat, addit: *Dehinc ob lucrum animæ laborem subiit diversæ ac grandis viæ — Multa a Bolizlavo ceterisque divitibus bona suscepit — In duodecimo conversionis, ac inclytæ conversationis suæ anno ad Prussiam pergens, steriles hos agros semine divino studuit fœcundare.* Hic expresse ponit *Anno duodecimo conversionis* s. 1007. *in Prussiam Brunonem perrexisse*, & prius studuisse fœcundare steriles agros, quæ verba aliud iter non præsupponunt. *Quarto*: Ex fide istius DITMARI consecratio ad *Tagmonem* referenda. Cui non

debat proposito. Retardavit enim exoptatos progressus induratio plurimorum, qui laqueis Satanæ irretiti Brunonis prædicationes & salutaria monita contemnebant. Contemtum cœcus iræ excipiebat impetus. Hinc idem cum S. Adalberto ipsum fatum manebat. Prohibitus namque à Prussis, ne semen veritatis ulterius spargeret, cum non desisteret, Anno 1008. XVI. Cal. Martii cum 18. sociis, manibus pedibusque amputatis, martyrii perennem gloriam sibi adquisivit. xxxxxx)

§. XXXI.

obstat, quod post quadriennium prius adierit Prussiam. Excusat enim longinquum iter commoratio in regionibus Boleslai, & difficultas aditus ad Prussos sangvine Adalberti nondum satiatos, præparatio itidem religiosa ad hocce conversionis opus. *Post consecrationem autem* BRVNO *corpus inedia cruciavit, & vigilia castigavit* l. c. Hinc iterum Capellani dignitas ruit: nec tamen vigiliæ illæ conversioni Prussorum impensæ dici possunt, quia in sequentibus prius beneficia *Boleslai*, & iter in Prussiam allegat. Optime cruciatus illi, inedia atque vigiliæ præparationi ad Martyrium digne subeundum accensentur, & Brunonem, licet jam ante quadriennium Archi-Episcopus gentilium fuerit consecratus, Anno prius 1007. semel Prussiam adiisse, statuitur.

xxxxxx) Eundem diem martyrii atque numerum sociorum notavit DITMARVS *l. alleg.* neque respectu harum circumstantiarum aliquem novimus contradicentem. Quod vero annum attinet, in eo determinando hæret SPANGENBERGIVS *l. c. p.* 129., &, utrum 1008. vel 1009. nominandus sit dubitat. SIGEBERTVS equidem *ad annum* 1009. martyrium *Brunonis* recenset; Verum cum MARIANVS SCOTVS, ALBERTVS STADENSIS *in chron p.* 113, VRSPERGENSIS, CHRONICON STEDERBVRGENSE apud MEIBOMIVM *Tom I. f.* 450. CRANTZIVS *L. IV. Saxon. c.* 28. & alii añum

§. XXXI.
Et ita BRVNO omnibus S. ADALBERTI M vesti-

1008. habeant, merito hos sequimur. BARONIVS licet *Brunonem* à *Bonifacio* differentem introducat, utriusque tamen mortem ad annum 1008. notavit. In relatione tantum abit, illius cædem ex *Ditmaro*, hujus ex *Petro Damiani* recensens *ad annum* 1008. *no.* 4. — 7. In mentem hic revocanda erunt, quæ supra *not.* *vv.* de mala *Surii* in descriptis Sanctorum Vitis fide diximus, cum historia *Bonifacii* multis miraculis in *Petro* laboret, & *Baronii* credulitatem, eadem absque selectu & censura assumentis, omnibus manifeste prodat. Ratione sociorum monemus, quod eorundem quoque mentionem faciat *Autor* CHRONICI HALBERSTADENSIS. Præterea observamus HARTKNOCHIVM *L. I. H. E. c.* 1. §. 13. existimare, *Benedictum, Petrum & Nicolaum, quos alii in Prussia tum temporis martyrio coronatos volunt, accenseri posse sociis illis à Ditmaro Brunoni junctis. Idem* equidem *Autor in Pruss. Nova* c. 5. §. 3. *f.* 457. aliam adducit sententiam, nimirum, *quod paulo post* (cædem Brunonis) *illi tres separatim in Prussia occubuerint.* Ast si alterutra eligenda est opinio, priorem posteriori præferre probabilitas poscit. Nec præterire possumus, quin moneamus, corrigendum esse laudatum HARTKNOCHIVM *l. c. in H. E.*, quod Brunonem A. 1010. in Prussiam venisse adserat. Quædam adhuc respectu loci, in quo passus est Martyr noster, adjiciemus. Ille generaliter ab omnibus exprimitur; á *Ditmaro* dicitur: *in confinio Prussiæ & Russiæ*; ab *Autore* CHRON. MAGD. *f.* 275. *in confinio Russiæ & Lituæ regionum*; à LANGIO *l. c. in confiniis Russiæ.* Et ex hisce generalibus aliquid determinare velle, nimium autoritatis supponeret. Hoc interea firmiter constituimus, ad Sambiam, in qua olim *Adalbertus* cæsus erat, non pervenisse *Brunonem*, Prussos nihilominus aliquos convertisse, & muneri suo sangvine satisfecisse. Dolendum modo, non diu hujus conversionis apparuisse vestigia, cum Prussi

vestigiis, iisdemque prope metam cruentis perpetuò inhæsit. Nec in eo priori martyri absimilis, quod memoriam sui, quam ævo posterorum mortis jam genus martyriique decus conservabat, scriptis yyyyyy) quoque reddi-

Satanæ blanditiis illaqueati idolis renunciare nollent; & ita S. noster BRUNO *spinis pullulantibus horrida non potuit emollire, & cum primò ab incolis prohibitus fuisset, plus evangelizans capiebatur*, loquente DITMARO *l. c.* Quanta ferocia animos Prussorum postea agitaverit, id testatur, quod obstinata cervice Principibus Polonorum per longam annorum seriem restiterint. Subjicimus, quid tandem corpori Brunonis postea evenerit, quod idem refert DITMARUS l. c. *Corpora tot Martyrum insepulta jacuerunt, quòad* BOLIZLAVUS *id comperiens, eadem mercatur, & domui suæ futurum acquisivit solatium.*

yyyyyy) TRITHEMIUS *de Scriptor. Ecclesiast. l. c. f.* 265.266. hoc ipsum mactat elogio: BRUNO *Archi Episcopus Ruthenorum* (hanc confusionem Russorum & Prussorum sæpius ab Autoribus committi observavit BARONIUS *ad annum* 1008. *no.* 5.) — *Vir in divinis Scripturis doctus, & declamator homiliarum ad populum egregius, sanctus denique & Deo dignus, quippe qui fidem Catholicam in Prussia prædicans ab inimicis Christi martyrio legitur coronatus. Scripsit ingenii sui nonnulla præclara opuscula. De quibus extant Commentarior. in Genes. Libb. II. & quædam alia.* His Commentariis addendam esse suspicamur *Vitam Adalberti* in *Surii* collectione communicatam. Occasionem suspicionis nacti sumus ab *Autore Chronici Magdeburgensis*, qui *l. c. fol.* 275. scribit: *Cujus* (Adalberti Martyris) *consodalis S. Bruno, qui & Bonifacius, nobilitate & meritis illi per omnia simillimus, dum passionem & actus ipsius scribendo miratus est, ipse nihilominus ArchiEpiscopus gentium pari agonis triumpho subsequenter martyrisatus est.* Illa enim verba alium non admittunt sensum, si omnia juste exhaurire volueris, quam, quod *Bruno* passionem & actus *Adalberti* scripserit. Textus etiam ipse Surianus, quo minus *Brunoni* tribuatur, respectu

reddiderit perennem. Templi itidem fundatione zzzzzz) amorem ſuum vivus erga Deum conteſtatus eſt. Et tantum abeſt, ut alii Tanti Paſtoris obliti fuerint, ut ejus recordationem nonnullis etiam perennarint monumentis,


temporis non repugnat. Nam *f.* 883. ipſum ſe *Adalbertum* vidiſſe innuit his verbis: *O quoties obortis lacbrymis memini dicentem, cum cauſa ædificationis acceſſiſſem Joannem Abbatem.* Idem *f.* 831. teſtatur, ſe eo tempore in Italia fuiſſe, quo LEO *Abbas* vixit: *Acutiſſime*, inquit, *autem* (Adalbertus) *interrogavit de Scripturis Sanctis. — Sed ad hæc, quod ante neſcivit, quærenti illi recte Abbas* (LEO) *reſpondit, ut ipſe non ſemel ad nos dixit.* Poraji quoque cæſi *f.* 835. meminit: *Hoc tempore, quando digna indigni ſcribimus, gladio occubuit etiam frater natu maximus*(Adalberti). *Henrici* tandem ævum ſibi bis luculentiſſime tribuit. Sic *f.* 826. ait: *Quem longe lateque jura dantem hodie tremit populus* — HENRICO *regi proximus acceſſit nepos*; & *f.* 832. *Poſt tres* OTTONES HENRICVS *Chriſtianiſſimus ecce venit.* Si Commentarii in Geneſin luci mandati forent, forſitan ex Surii aliquibus locis non emendatis, ſtylus enim ibi inæqualis comparet, conjectura quædam enaſceretur. Interea autem hiſce nos contentos eſſe oportet. Coſmæ verba, quæ jam *not. mm.* allegavimus, niſi ad vitam à Sylveſtro editam applicantur, ad minimum indicabunt, ævo ejusdem vitam Adalberti extitiſſe, & ſi hanc fuiſſe diceremus, quis contrariaretur?

zzzzzz) Hanc factam fuiſſe à Brunone memorat SPANGENBERGIVS *l. c. L. IV. c.* 78. atq; ibi explicat, quæ prius dixerat *L. II. c.* 8. Fundavit videlicet tum temporis, cum Canonicus eſſet Magdeburgenſis, Eccleſiam in honorem D. Mariæ, & Apoſtolorum Petri atque Pauli in arce; Sacello minori, in illo loco prius ſito, deſtructo. Quæ etiam Eccleſia, licet eandem Sacellum majus meliori ratione nominares, per exiguum equidem tempus honore ſuo defraudabatur, poſtea vero ſingularia privilegia teſte Autore *p.* 469.70. ſibi adquirebat.

mentis. aaaaaaa) Ipse Deus justus scelerum vindex sangvinem suorum Martyrum non inultum reliquit. Prussi enim duplici cæde contaminati per duo Secula bbbbbbb) pœnam cœcitate spirituali luerunt, atque, licet à Principibus Polonorum nubeculæ Ethnicismi dispellendæ omnes admoverentur vires, tamen in ordinem redigi non potuerunt.

aaaaaaa) Huc referas Fontem, hodienum Querfordiæ BRVNONIS *fontem* appellatum, cujus aqua octo fratris filios, morti à Matre ob prolem cumulatam destinatos, *Brunonem* baptizavisse, credit cum aliis SPANGENBERGIVS *L. II. c.* 11. *p.* 135.; item Sacellum extra Qverfordiam situm in illo loco, in quo asinum Brunonis iter in Prussiam meditantis stetisse, nec à loco recedere voluisse fabulantur, quod in memoriam Brunonis opitulante fratre Burchardo ædificatum, citatus Autor scribit *c.* 10. *p.* 131. Huic cum absolutionem quotannis largirentur Pontifices, inde forum rerum venalium sive nundinæ cum peregrinatione ortum ceperunt. ib. *p.* 132. HARTKNOCHIVS etiam in *Dusburgio Part. III. c.* 27. *not. d.*, honorem denominatæ arcis *Brunsbergæ Brunoni Episcopo Olomucensi* male tribui, melius vero ad martyrem nostrum quadrare, ex ætate illius cum arcis exstructione comparata demonstravit, atque idem in *Prussia Nova c.* 3. §. 6. *f.* 385. ostendit. Sic Prussia quoque secundi Apostoli monumentum aliquod intra fines suos custodit. Tantum de Martyribus, quos conversio Prutenorum occupavit. Post Brunonis enim martyrium potentia atque viribus Polonorum res religionis agi cœpta.

bbbbbbb) Demonstratum id ibimus in sectione sequenti. Hic saltem notamus, lentam illam religionis propagationem, & idolorum haud seriam eradicationem inde quoque ortam, quod Principes Polonorum, licet religionis introductionem prætexerent, magis tamen fœcundam & vicinam regionem cordi haberent. Parcos enim fructus ad tempora usque Cruciferorum hæc produxit conversio.



ERRATA,

Quæ Lectoris attentionem retardare possunt, sequentia corrigenda erunt.

p. 14. not. hh. lin. 10. pro *Episcatus* l. *Episcopatus*.
20. not. oo. col. 2. lin. 26. verbis: *eodem c. cum* adde *in cunctis*,
23. not. tt. col. 2. lin. 2. l. *contingit Reges*.
32. lin. 2. pro *illiciet* l. elciet.
52. not. ccccc. lin. 10. l. *tantum*.
53. not. ddddd. col. 2. lin. 20. l. *reperitur*.
84. lin. 1. post: *ubi*, inferendæ literæ, notam indicantes rrrrrr)